NARRATIO
DE MIRACVLO A MICHAELE ARCHANGELO
CHONIS PATRATO

NARRATIO
DE MIRACVLO A MICHAELE ARCHANGELO
CHONIS PATRATO

NARRATIO

DE MIRACVLO A MICHAELE ARCHANGELO

CHONIS PATRATO

ADIECTO SYMEONIS METAPHRASTAE

DE EADEM RE LIBELLO

EDIDIT

ET FACVLTATI LITTERARVM PARISIENSI PROPOSVIT

MAX BONNET

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN

1890

CAPVT I.

De libro a nobis edito.

Tria fere sunt earum rerum genera quae in martyrologiis et passionariis memorantur, tria etiam genera librorum quibus eae continentur. libri aut sunt ipsa acta iudiciorum qualia edidit nonnulla Theodoricus Ruinart in Actis martyrum sinceris, aut uitae sanctorum et miracula tamquam annalium res gestae narrata, aut homiliae et laudationes uariae quibus eadem fere oratorie tractantur. rerum autem genus est primum uere gestarum, quae non numero sed dignitate reliquis omnibus antecellunt. alterum est paulatim dum ueri memoria incerta serpit et dilatatur atque extenuatur adauctarum et exornatarum, aut ab dis Graecorum et Romanorum ad sanctos christianos translatarum, cuius rei exemplum luculentissimum Hermannus Vsener in Pelagia sua protulit, aut aliqua tandem ratione in uolgi animis innatarum ac per ora uolgi traditarum. harum multitudo maxima est, mediocris aestimatio. tertium genus est rerum non incerta origine sensim per uolgi sermones et fabulas propagatarum sed ab uno aliquo homine certo consilio excogitatarum et artificiose effictarum. hae non ita paucae sunt et pretii in uniuersum quidem aestimanti minimi. nam nisi qui summo ingenio praediti sunt homines singuli frustra cum multitudine de cuiusuis rei inuentione certent. tertio huic generi rerum pleraque ea adnumeranda sunt quae in libello a nobis edito scripta leguntur, librorum generi alteri libellus ipse. quae enim de Ioanne et Philippo apostolis ex actis antiquis sed apocryphis hausta sunt et de oratorio Chonensi quae partim fortasse uera narrantur, ea uiae ad miraculum Michaelis muniendae causa scripta esse apparet; ipsum miraculum fictum esse ab eo qui fluuii in terrae hiatum descendentis rationem reddere uoluerit infra declarabitur. quem si quis eundem putarit ac libri scriptorem, equidem non obloquar. sed eam rem in medio relinquo. libri natura inscriptionis prima uoce significatur. narratio appellatur, et est narratio ne exordio quidem aut conclusione ornata. quaecumque enim ad cultum dei commendandum spectant aut ad firmandas fouendasque religiones ea non suo sed Archippi nomine scriptor expromit.

Libellus diuisus est in partes tres quarum priores quae sunt de apostolis Philippo et Ioanne et de oratorio Chonensi ab homine Laodiceno aedificato quasi quoddam uestibulum sunt tertiae quae est de Archippo et de Michaelis archangeli miraculo. quod uestibulum duplex ut paulo si cum reliquis aedibus comparetur maius est quam

decebat et male cum illis cohaeret, ita ne ipsum quidem concinne et affabre factum est. ea enim quae de uipera Hierapolitana narrantur quamuis illarum rerum studiosis utilia pleraque tamen sunt superuacanea. sed inuenerat ea quae de apostolis refert in actis apocryphis et quo librum suum adaugeret repetiuit homo indisertus quam plurimum ex illis. item oratorium in loco Chaeretopa dicto a quo aut qua de causa aedificatum esset non multum eorum intererat scire qui miraculum Michaelis lecturi erant. nam paganorum ira et odium non tam illo accendebantur quam aqua illa mirifica. de homine autem Laodiceno ac puella muta oratorii conditoribus quae aut ex oribus accolarum aut ex aliquo commentariolo hausit aut ipse excogitauit, nisi forte uolgare prodigium ab alio loco, in quo factum esse legerat, ad hunc transtulit, ea ne superuacanea uiderentur artius cum Archippi prosmonarii rebus coniungi oportuit.

Iam de ipsa narratione paucis absoluemus. ea quoque scriptoris est nec arte nec ingenio excellentis nec omnino tamen utroque carentis. qui postquam uictu et sanctitate Archippi describendis legentes diutissime detinuit et ad rem tandem peruentum est, eam exornare et augere nisi longis sermonibus nescit, miraculo in Chryse fluuio opera sine diuom facto descensus et operationis angelicae necessitatem tollit, praeripit uoluptatem; etiam obscura nonnulla relinquit de quibus infra disseruimus, uelut loci in quo miraculum uolt factum esse non satis declarat quod fuerit nomen, Archippus quare in periculo solus sit, cum antea plurimi homines ad fontem confluere soliti sint, causam adferre oblitus est, postremo ubi uix breuibus uerbis Michaelem aquas ab oratorio arcuisse rettulit subito tamquam anhelus in ipsa calce subsistit. at eundem si quis cum Metaphrasta chartarum illa peste aut cum huius aemulo Sisinnio, de quibus infra uerba fecimus, comparauerit, non sine uoluptate amplexabitur, uirum probum dicet rerum quam uerborum studiosiorem, clare et simpliciter et sincere narrantem, quin etiam delectationis aliquid praebentem. scilicet ipsa hominis rusticitas et ornamenta illa horrida et inculta scriptoris prorsus ineruditi magis iam placebunt. etiam in locis describendis ut in re perdifficili non nihil actum fatebimur. denique sententias probabimus hic illic dispersas si non grauissimas aut prorsus nouas at honestas et in loco positas. extrema autem pars libelli quod praefracta et quasi amputata uidetur, eius rei est in promptu causa eiusmodi quae omni culpa scriptorem liberet. nempe desunt ea quae desiderantur aut quod perierunt aut quod fato aliquo praeuertente numquam scripta sunt. multo eorum quidem alterutrum ueri similius est quam ut is qui tam enucleate antea in homine Laodiceno et in Chryse deriuato tamquam in rebus maximis et consilia et acta et euentus uelut perfectus

historicus proposuit nunc, cum ad ipsam rem primariam peruentum est, ne breuiter quidem uoluerit aut potuerit legentes de eis quae maxime et ipsi et illis cordi esse debebant certiores facere, scilicet euenisse ea quae Michael fieri iussisset, fluuios in gurgitem siue infundibulum illud suum descendisse neque umquam postea redundasse, οὕτως πορεύεσθαι ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, ut ipsius uerba (10,4) adponam, aduersarios autem etiam nunc procul stantes cerni in saxa conuersos [1], Michaelem perfecto opere in caelos euasisse, Archippum dei et archangeli numine conseruatum redisse in oratorium — nisi forte maximum illud et praeclarissimum templum quod multi scriptores laudibus efferunt tum oratorii loco aedificatum esse narrauit — ibique postea saluum et incolumem usque ad diem suum supremum degisse, denique aegros et captiuos et omne genus miseros et aerumnosos adiuuari ibi ad hunc diem et malis omnibus liberari. haec non potuisse non adici senserunt et qui scripsit librorum CQUD archetypum et Sisinnius et Metaphrasta, de quibus mox dicetur, qui omnes adiecerunt nonnullos in eam sententiam uersiculos. itaque mihi quidem non persuadebitur ipsum scriptorem tam praepostere egisse ut omnia illa omitteret, ipsum Michaelem uerba illa sollemnia pronuntiantem faceret διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ᾧ ἡ δόξα κτλ. immo cum in uerbo quod est ἡτοιμάσθητε aut in διαπαντὸς scriptor substitisset aut quae olim sequebantur perissent, librarius aliquis hunc finem libro mutilo imposuit: ᾧ ἡ δόξα... ἀμήν (13, 14). atque ut cum libri fine etiam initium coniungamus, si quis hoc quoque perisse aut numquam fuisse, id quod Theodorus Zahn opinatus esse uidetur [2], probabit, equidem libenter plaudam librorum manu scriptorum interpunctionem defendenti et deformem illam primorem sententiam remouenti ἡ ἀρχή... ἐξ ἀρχῆς ἐκηρύχθη. ipse eam resecare non sum ausus quia nec uerbi quod est ἐκηρύχθη quod fuisset subiectum diuinabam neque uero intellegebam quamobrem qui primus librum ἀκέφαλον inuenisset duplici eum inscriptione locupletasset, non esset sententiam manifesto mutilam reficere conatus.

Genus dicendi tale est fere quale ab eiusmodi narratore exspectes, rude et impolitum, modo tritum et uolgare modo arcessitum, modo humile et abiectum modo poeticis uerbis infucatum, nonnullis locis etiam soloecum aut barbarum. nec tamen in tot et tantis uitiis caret lepore quodam natiuo nec ubi opus est uiribus et neruis, sed ne proprietate quidem omni uerborum atque elegantia deficitur. collegi in indice quaecumque notabilia uisa sunt. hic libet pauca praelibare

[1] In codice Ottob. 1 post ἀπολιθωθήτωσαν 19, 1 haec leguntur : ὅπερ καὶ γεγόνασιν καὶ ἵστανται στύλοι μέχρι τῆς σήμερον. — [2] Cf. *Acta Ioannis*, Erlangae 1880, p. LXXX der anfang der geschichte ist abgerissen.

quibus ea quae modo dicta sunt confirmentur. indisertum atque adeo infantem se praebet primum isdem saepius repetitis aut singulis uerbis ut 1, 5; 7 ἡ ἀρχὴ ἐξ ἀρχῆς; 2, 1; 3; 6 ἀκάθαρτος; 2, 1; 2 μιαρά; 7, 2; 4 ὀφθαλμοί; 7, 9; 10 γύμνωσις; 7, 13; 18 ἀρεστά; 7, 21; 8, 2 κύριε ὁ θεός μου; 7, 8; 14 καλλώπισμα; 7, 11; 8, 7 ἄσκησις ἀγγελική, aut totis sententiis uelut 3, 11; 19 ἐθεραπεύοντο καὶ ἐπίστευον κτλ., id quod sensisse uidentur qui libros W C D scripserunt; 3, 8; 5, 3 (cf. 8, 15) οἱ Ἕλληνες ἔβρυχον καὶ ἐμαίνοντο κατὰ τῶν χριστιανῶν; 4, 5; 18, 15 οὐ μὴ ἐξέλθῃς λυπούμενος; 5, 13; 16 καὶ τοῦτο ὁ μακάριος ἐποίει; 11, 8; 13 ὁ τόπος ἐπιτήδειος πρὸς κατάβασιν τοῦ ὕδατος; 12, 11; 14 τὴν ὁδὸν τοῦ ὕδατος; 13, 5; 15, 2 ἔρριπτεν ἑαυτὸν (ἔπεσεν) εἰς τὸ ἔδαφος ὡσεὶ νεκρός; 13, 18; 14, 3 δραμόντες στῶμεν κτλ.; 16, 15; 17, 3 τὸ ὕδωρ κατερχόμενον κτλ.; 17, 11; 18, 5 βλέπεις ὅσιε κτλ.; 17, 15; 18, 7 ἐκτείνας τὴν δεξιὰν αὐτοῦ; deinde pluribus uerbis pro singulis aut grauioribus pro minimis positis uelut 10, 8; 14, 17; 18, 1 εἰς κεφαλήν; 2, 6; 10; 5, 7 ἐπάνω; 2, 4; 5; 6 κύκλῳ; denique sententiis non tam coniunctis et colligatis quam cum hiatu quodam appositis, id quod in iureiurando consuetudine firmatum facile fertur ut 13, 9 εὐλογητὸς ὁ θεὸς οὐ μὴ ἐξέλθω, alibi ut 5, 10 ζήσας — ἔζησεν — γευσάμενος; 6, 1 τὸ δὲ ἔνδυμα — εἶχεν; 13, 8 ἐποίησεν ἔφαγεν, si in loquendo non nimium offendit, a scribendi tamen consuetudine tam remotum est ut uix intellegatur; ne anacoluthon quidem deesse uidetur, cf. 8, 9.

Soloecismi et barbarismi exempla pauca apposuisse sat erit uelut 16, 5 οἶδας; 3, 6 ὕδωρ ἐπιτελῶν; 13, 16 πληρωθέντων ἡμερῶν; 7, 1 εἰσελθέτωσαν ἀγαθά; 6, 15 ποιήσῃς ἐμοὶ χαρῆναι; 9, 5 ἐὰν οὐ καταστρέψωμεν; adde tempora non solum diuersa coniuncta, id quod amare uidetur, ut 2, 16 ἔρχονται καὶ ἐκαθέσθησαν; 12, 8 ἔρχονται καὶ ἤρξαντο, sed etiam falso posita ut 14, 16 γέγονεν pro aoristo; 3, 16 ἔσχεν pro eo quod est εἶχεν — non enim nunc narratur filiam ei natam esse, siquidem adicitur καὶ αὕτη ἦν ἄλαλος ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτῆς — 6, 11 ἔτυχεν pro eo quod est ἐτύγχανεν; adde ἐν et εἰς confusa 8, 9; 14, 9; et διὰ pro eo quod est ἕνεκα positum 6, 6; adde nominatiuum pro genetiuo absoluto adhibitum 1, 11; 10, 1; genetiuum pro nominatiuo 1, 8.

Iam de sermonis ignorantia ne plura uerba faciamus, uix minus grauiter iudicii errore et inscitia labitur. coniungit translationes discrepantes uelut 6, 12 ἄσπιλον ἐκ τῆς παγίδος; 7, 21 τῆξόν μου τὸ σῶμα ὡς τὸν κόκκον τοῦ σινάπεως. inani et plane odiosa abundantia sescentiens eosdem homines et easdem res isdem uocabulis significat, ὁ ἅγιος, ὁ ὅσιος, ὁ μακάριος, ὁ ἀρχιστράτηγος, alia, aut pluribus uerbis eosdem sensus efficit ut 15, 3 πάλιν ἐκ δευτέρου, in quo genere nescio an nemo umquam ea superauerit quae legimus 10, 10, ubi diabolus sine causa XXI nominibus deinceps positis describitur. denique inter plurima demissa et humilia quorum non opus est ut exempla proferam exstant et discrepant uerba poetica qualia sunt 7, 20 τάλαινα; 12, 8 ὄπιθεν;

16, 13 οἱ βροτοί; 18, 10 — quamquam hoc quidem satis commune est — ἐπαοιδία. quibus libenter equidem adnumerem ionicum illud ἐπίστασθαι 2, 5; 4, 2; nam etsi eo tempore quo hic scriptor fuit haud incredibile est superfuisse ueterum dialectorum reliquias aut nouarum semina quaedam quae imprudentibus scriptoribus in ipsos libros irreperent, non tamen licet aspirationem neglectam aut siqua alia uitia in illius sermone deprehendas Phrygiae dialecto assignare quia probabile sit rei Phrygiae narratorem fuisse Phrygem. non enim desunt quae ab aduena archangeli cultore librum de miraculo eius scriptum esse significent; quis aut cuias fuerit nescimus.

Eorum quae laudaui non est tam facilis enumeratio, quoniam ipsam illam rusticitatem dixi aliquid habere suauitatis quam huc usque persecutus sum. non enim dedecet haec eam quam res postulat credulitatem et animi ut ita dicam candorem. quippe auribus talia non doctis et delicatis narrari debent sed rudibus et plebeis quae sermone eleganti et urbano magis offendantur quam iuuentur. hoc autem qui intellexerit is quamuis ipse eruditus sit, atque eo etiam magis, conuenientiam rerum et sermonis probabit et delectabitur eadem rusticitate sermonis quam in re suo ingenio et doctrinae suae accommodata damnaret et aspernaretur. sed sunt tamen loci quidam in quibus cum se quasi erigat oratio et exsurgat satis feliciter ille rem administrarit et cum scriptoribus non illis quidem optimis sed mediocribus non sine aliqua spe ueniae contendere possit. satis apte numeroseque haec dicta sunt 14, 9 τοῖς δάκρυσιν βρέχων τὸ ἔδαφος καὶ ἀκαταπαύστως τὸν θεὸν ἐπικαλούμενος; 16, 8 τὴν φοβερὰν καὶ ἀνεξιχνίαστον δόξαν τῆς θεότητος καὶ τὴν ἀβάστακτον φλόγα τῆς ἀμετρήτου δυνάμεως... οὐκ ἰσχύω θεάσασθαι; non inlepide haec 6, 10 ἐξετέλει τὸν τῆς ἀγρυπνίας πικρότατον ὕπνον; 7, 7 τί γάρ μοι ὑπάρχει τὸ πήλινον σῶμα; 7, 19 ἐν τούτοις αἰχμαλωτίζεται ἡ τάλαινα ψυχή; et cum quadam ironia 18, 17 οἱ δὲ ἐχθροὶ ἡμῶν... ἀπολιθωθήτωσαν ἐκεῖ ἕως ἂν οἱ ποταμοὶ καταποντίσωσιν τὸ ἁγίασμά μου. quin etiam tales facetias quales illae sunt 11, 10 ἦλθεν εἰς Λαοδίκειαν ὁ λαὸς τῆς ἀδικίας ueteres non solum aequiore animo tulisse quam nos ferimus sed etiam delectatos eis esse satis constat. denique e bybliis haud paucis sententiis excerptis apte congruenterque orationem suam distinxit et inlustrauit 6, 14; 8, 2; 13, 12; 14, 11.

Sed nimis diu in uerbis considerandis morati sumus. ad res iam accedendum est. ac primum sitne earum memoria ex hoc libro tamquam solo aut primario ac purissimo fonte repetenda quaeremus an aliunde queamus aut plura aut eadem sinceriora ac ueriora accipere.

CAPVT II.

De reliqvis libris eivsdem argvmenti.

Praeter eum de quo huc usque diximus librum duo exstant alii quibus eaedem res comprehensae sunt. quorum unus editus est in Actis sanctorum mensis septembris [1], alterum nos infra descripsimus. acceperat illum Bollandus a Petro Possino ciue Narbonensi qui eum descripserat — degit enim Tolosae inter annos MDCXXXVIIII et LIIII [2] — e codice non antiqua quidem sed plane ut ait transmarina manu exarato qui erat Caroli de Montchal archiepiscopi Tolosani, qui sedit ab anno MDCXXVIII ad annum MDCLI [3]. adscriptum fuisse Sisinnio patriarchae Constantinopolitano Bollandiani Possino auctore referunt [4]. Sisinnii autem duo fuerunt patriarchae Constantinopolitani, quorum unum sedisse Le Quien docet ab anno CCCCXXVI ad CCCCXXVII, alterum ab anno DCCCCLXXXXVI ad DCCCCLXXXXVIIII [5]. hunc libri scriptorem esse, si modo recte inscriptus erat, non illum priorem et scribendi genus declarat ab aetate uetustiore alienum et fabula ipsa saeculo quinto certe non antiquior [6]. Bollandiani [7] alium Sisinnium aut Hierapolitanum aut Laodicenum episcopum, qui ambo fuerunt inter saeculum septimum et nonum [8], libri ab ipsis editi scriptorem esse uoluerunt perperam. cur enim eidem codici patriarcham illum fuisse Constantinopolitanum non credamus, credamus Sisinnium uocitatum? Hierapolitanum autem Laodicenumue eum fuisse qui ne uno quidem uerbo locum illum in quo Michael archangelus apparuit umquam a se uisum esse significet non solum nulla causa est ut inuito unico auctore credamus, sed etiamsi traditum esset nostro iure dubitaremus. nam illud uix exceperim quod in uerbis § 7 quae sunt τὸ ἐπ' ὀνόματι τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ αὐτόθι εὐκτήριον περικαλλὲς oratorium Chonense et sibi et legentibus notum fuisse articulo praeposito indicauit; erat enim celeberrimum et hominibus Constantinopolitanis haud ignotum [9]. hoc adicio scripta Sisinni quae memorat Ioannes Albertus Fabricius [10] non esse eiusmodi ut eorum comparatio ad hanc litem dirimendam quicquam auxilii adferat.

[1] T. VIII p. 41 ss. — [2] Cf. Moréri, *Dictionnaire*, Supplément, t. II p. 109 ed. Paris. 1735. — [3] *Galliae christianae* t. XIII p. 61. — [4] T. VIII p. 40 B § 193. — [5] *Orientis christiani* t. I p. 215 et 257. Sisinni litterae leguntur anno DCCCCLXXXXVII datae in *Patrol. gr.* ed. Migne t. CXIX p. 728 ss. — [6] Cf. etiam *AA. SS.* sept. t. VIII p. 40 F § 198. — [7] P. 41 A § 198. — [8] Cf. Le Quien, *Or. christ.* t. I p. 835 ; 793 ; 796. — [9] Cf. infra cap. VI. — [10] *Biblioth. gr.* ed. Harles t. XI p. 712 ; t. XII p. 634 ; t. X p. 696.

Alterum librum inter Symeonis Metaphrastae scripta certa recenset Leo Allatius [1] nec tamen Migne inter eius opera edidit [2], descripsi ipse infra [3] non quo iacturam fieri non ferendam putarem si quod haud ignobilis illius nec insciti sed leuissimi et futtilissimi uerborum opificis scriptum in tenebris iaceret, sed quo facilius ea quae de tribus eiusdem argumenti libellis dicturi sumus intellegerentur. inter multos illos libros qui Symeonis nomine feruntur difficile est explorare qui sint re uera ab ipso profecti, qui falso ei tribuantur [4], quoniam et nescimus utrum Symeo solus an ab aliis adiutus opus suum perfecerit, utrum omnes uitas eodem modo pertractauerit an alias penitus refinxerit, alias paulum immutauerit, alias paene intactas reliquerit, et uitae ab eo scriptae in codicibus manu scriptis iam inde a saeculo undecimo cum alienis ita coniunctae sunt ut uix uni aut alteri ullius scriptoris nomen appositum sit, postea autem qui ex eis locum aliquem attulerunt uel singulas uitas ediderunt ii quaecumque in eiusmodi codicibus legebantur in ipsum conferebant. unus tamen inter hos eminet auctoritate non tam sua quam aetatis suae Suidas. qui cum paene aequalis Metaphrastae fuisse uideatur [5] scire potuit qui essent clarissimi logothetae libri qui alieni. is autem cum nominatim adferat tamquam τοῦ λογοθέτου uitas Theclae Marcelli Calliceladi Thyrsi [6], quibus adiciamus licet uitam Euthymi cuius locum quendam ἐν τῇ μεταφράσει positum memorat [7], nam Danielis et Symeonis Stylitarum Lucianique uitas G. Bernhardy non ab ipso Suida appellatas censet [8], habemus iam aut saltem uidemur habere certam quandam normam et regulam ad quam uitas reliquas examinemus et ingenii Symeoniani ueros fetus a spuriis segregemus. at haec ipsae uitae nimium quantum inter se differunt. sunt breues quaedam, perlongae aliae, sunt oratorie aliae, aliae historice tractatae, sunt quae uno eodemque stilo totae exaratae uideantur, sunt quarum partes quasdam tamquam caementa putes ex aliorum aedificiorum ruinis collecta et in noua structura inclusa. itaque uidemur rursum amisisse auxilium modo repertum. sed aliquid tamen tenemus in quo iudicium nitatur. nempe is color orationis quo passim aut densius aut rarius uitae a Suida memoratae oblitae sunt quo manifestius apparebit, uelut in uitis Euphrosynae Ioannis Philippi aliis, eo certius argumentum erit originis Symeonianae. hoc autem argumento utentibus inter certissima huius scriptoris opera futuram esse narrationem

[1] *De Symeonum scriptis diatriba*, Paris. 1664, p. 127 ; descripsit Migne, *Patrol. gr.* t. CXIIII p. 19 ss. — [2] *Patrologiae* quam dixit *graecae* t. CXIIII. CXV. CXVI. — [3] P. 20 ss. — [4] Cf. Leo Allatius, *de Sym. scr. diatr.* p. 76 ss. — [5] Cf. quae praefatus est G. Bernhardy in Suidae sui t. I p. XXVIII. — [6] Cf. Leo Allatius, *de Sym. scr. d.* p. 78; index Suidae Bernhardyani t. II p. 1985. — [7] S. u. ἂν ἀμφοῖν. — [8] S. u. ἀναίμονες et νοθεύει et ὑπαγορεῦσαι.

de Michaele archangelo concedet quicumque aliqua eorum legerit et nos appositis infra in commentario haud paucis illorum librorum locis simillimis demonstrauimus.

Hoc igitur ut pro confesso sumamus, iam uidendum est quo temporum ordine sese tres illae narrationes excipiant, quae a quo scriptore expilata esse uideatur. ac statim ut dicam quid sentiam, longe antiquissimam puto narrationem sine scriptoris nomine traditam. ex ea Symeon res excerpsit, uerba attulit, quibus abundabat; denique Sisinnius quoque ueterem narrationem compilauit eo fortasse tempore ut Metaphrasta libro eius uti potuerit.

De Symeone uix est quod disputetur. satis inter omnes constat nihil ab eo umquam inuentum esse praeter uerba, a quibus mutandis dum res alienas ad se transfert etiam nomen uidetur accepisse. et supersunt non pauci libri ueteres quos prorsus eadem ratione interpolauit, rerum capita strictim attingens, inani uerborum flumine omnia suffundens. itaque ex eo quem breuitatis causa anonymum dicemus μετάφρασιν illam sumptam esse, non ex hac anonymum, facile omnes consentient. anonymum autem, non Sisinnium illi exemplar fuisse ut per se ueri similius est ita diligenter singula uerba conferenti haud dubie apparebit. nam Bollandi socius cui quae edidit graeca uidentur Metaphrastae praeluxisse — sic enim loquitur — nugatur et suam mercem uenditat. itaque statim ab initio narrationis 20, 19 Symeo cum anonymo refert Philippum Hierapolim occupasse, dein Ioannem eo ad eum aduenisse, Sisinnius § 3 Ioannem narrat Epheso Hierapolim Philippo comite uenisse: ἧκεν εἰς Ἱεράπολιν συμπαρειληφὼς τὸν ἀπόστολον Φίλιππον, ὡς κἀνταῦθα τὸν τῆς πίστεως λόγον κηρύξοντες [1] καὶ... τοὺς ἀνθρώπους ἐλευθερώσοντες. sed hoc non urgeo quoniam ut post docebitur de Philippo aliunde Symeo compertum habere poterat. at 22, 24 his: ὡς οὐκ ἐπανήξει λυπούμενος illa anonymi 4, 5 οὐ μὴ ἐξέλθῃς λυπούμενος expressa esse quiuis uidet, quae quidem absunt ab Sisinni § 6. 23, 8 homo Laodicenus et oculos et manus ad caelum tollit ut anonymi 4,10, manus tantum Sisinni § 7. 23, 17 βάπτισμα ... καὶ οἴκου ὅλου προσαγωγή, haec non fortuito cum anonymi conueniunt 4, 16 ἐβαπτίσθη αὐτὸς καὶ πᾶς ὁ οἶκος αὐτοῦ, ubi Sisinnius § 7 haec habet: βαπτισθεὶς... οὗτος... καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ἅπαντες. sed manifestius deprehenduntur anonymi uerba 23, 26 γονῆς ὢν θεοφιλοῦς καὶ ῥίζης ὄντως ἀγαθῆς ἀγαθὸν βλάστημα, cf. anonymi 5, 8 γένους πιστῶν καὶ χριστιανῶν, quorum apud Sisinnium nec uola nec uestigium exstat. 24, 11-15 duos saccos in uicem pro uestitu et pro stratu haberi solitos sicut anonymus 6, 1 ss. memorat: Sisinnius § 8 unum amictui adhibitum. item 25, 4 paganorum manus rigidae fiunt ut apud anonymum 9, 2: apud Sisinnium § 11 flammae

[1] Κηρύξαντες ed. Bolland.

tantum e fonte exsiliunt. 25, 17 καθάπερ δὴ καὶ εἰς δεῦρο καθορᾶται ῥέον conuenit cum anonymi 10, 3 καὶ οὕτως πορεύεται ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης: Sisinnius haec ignorat. 26, 9 ss. de fluuiis mole coercitis uerba ponit similiora anonymi 12, 14 ss. quam Sisinni § 13 ἀναστομωσάντων δὲ τὰς τῶν ὀρῶν [1] διεξόδους τὸ ὕδωρ ὅτι μάλιστα πλεῖστον συρρεῦσαν τὰς τῶν ὀρῶν πεπλήρωκε φάραγγας. 26, 18 sicut anonymus 12, 15; 13, 16 decem dierum moram memorat ubi Sisinnius § 13 καὶ διῆγεν inquit ἐπὶ πλείσταις ἡμέραις [2] ἀπόσιτος. 26, 21 ad sinistram sicut anonymi 14, 4 populus recedit: πόρρω ποι πρὸς μεσημβρίαν apud Sisinnium § 14. denique, id quod per se solum totam litem dirimere potuit, 27, 21 ss. postquam rupes scissa est et uerba illa pronuntiata sunt: συντριβείη ἐνταῦθα τοῦ ἀντικειμένου ἡ δυναστεία (27, 19), Archippo ad dextram suam adsistere iusso Michael fluuiis imperat ut in illo hiatu terrae includantur: ἐν τῇ χώνῃ ταύτῃ χωνεύθητε (27, 24), eodem ordine quo apud anonymum a 18, 9 συντριβήσεται usque ad 19, 5 ἀκοντίσθητε ὑμεῖς ἐν τῇ χώνῃ ταύτῃ καὶ ἔστε χωνευόμενοι κτλ. sese res excipiunt, Sisinnius autem haec sic permutauit ut simul rupem scissam et aquam in hiatum compulsam narret, dein συντριβήσονται κτλ. subiciat, illa uero quae sunt maximi momenti ἐν τῇ χώνῃ κτλ. prorsus omittat. quae tamen quin legerit non potest dubitari, nam bis uerbo paulum immutato χωνεία usus est.

Itaque quin ab anonymo Symeo sua omnia adripuerit nihil obstat, nisi forte quia ea quae 21, 11, ss. de Philippo Hierapoli supplicio adfecto narrantur ab anonymo discrepant, congruunt autem cum actis Philippi quae etiam nunc legimus, ideo ex anonymo aliquis neget Metaphrastam sua deprompsisse. ei autem habemus quod respondeamus. Metaphrastam ipsum acta Philippi legisse testis est commentarius eius de hoc apostolo totus ex actis descriptus [3]. quid igitur mirum si ex actis anonymi narrationem correxit? id quod fecerunt etiam ignobiles librarii dum anonymi librum describunt [4].

Sisinnius quoque oratoriam laudem adfectat nec tam narrat quam contionatur, sed tamen aliquanto diligentius quam Metaphrasta res persequitur, ideoque ad anonymum plerumque propius accedit. qui tamen fieri non potest ut ab eo pendeat. neque enim ueri simile est ut ex oratione historia excerpta sit; solet historia ab oratoribus exornari. atque id factum uel inscriptio opusculi Sisinniani demonstrat quam sic dedit Leo Allatius [5]: λόγος εἰς τὸ ἐν Χώναις θαῦμα τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαήλ. et sunt apud anonymum plurima diserte enarrata quae Sisinnius tantum significat, uelut illud de fluuiis in terrae hiatum compulsis quod supra [6] memorauimus. conferas uelim anonymi

[1] Ὄρων, paulo post ὀρῶν ed. Bolland. — [2] Scr. πλείστας ἡμέρας? — [3] *Patrol. gr.* t. CXV p. 188 ss. — [4] Cf. 2, 16, adnot. — [5] *De Sym. scr. d.* p. 96. — [6] Huius paginae u. 9.

1, 7 ss. cum his Sisinni uerbis (§ 3) quibus antecedit exordium satis uerbosum : ἀλλ' ἀρκτέον ὅθεν ἡ τοῦ κηρύγματος χάρις διὰ τῶν ἀποστόλων Φιλίππου καὶ Ἰωάννου τοῖς πᾶσιν ἔθνεσι διεδόθη· καὶ γὰρ ἐκεῖθεν ἡ τῶν θαυμάτων ἀρχὴ πρόεισιν· ἐπεὶ καὶ τῆς ἐκείνων θαυματουργίας φύλαξ ὁ μέγας τοῦ θεοῦ γέγονεν ἀρχιστράτηγος κτλ.; cum 2, 9 ss. haec (§ 4): πολλάκις δὲ Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου τοῦ ἐν Ἱεραπόλει προσφοιτῶντος αὐτῷ τὰ θεῖα διδάσκοντος καὶ πείθοντος ἀφέντας τὸ ἐπὶ ματαίοις ὀνειροπολεῖν εἰς ἐπίγνωσιν γενέσθαι θεοῦ, ἐξελθεῖν αὐτὸν τῆς πόλεως πρὶν κακῶς ἀπολέσθαι διὰ τῆς ἐχίδνης (οἱ δαίμονες) φωνὴν ἀφιέντες προυτρέποντο· ἀλλὰ τότε μὲν τῶν δαιμόνων τῇ τῶν ἀποστόλων προσευχῇ τῆς πόλεως ἀπελαθέντων οἱ τῇ πλάνῃ δουλεύοντες πρὸς θεοσέβειαν μετετάξαντο. quae sequuntur Sisinnius (§ 5) ne intellexisse quidem uidetur, qui non futurum miraculum ab apostolis praedictum sed fontem salutarem eorum iussu scatentem caput rei putet. item § 8 subobscura illa quae anonymus 5, 9 ss. de Archippi aetate proponit sic interpretatur: οὗτος ἐπειδὰν πρὸς μέτρον ἧκε τῆς τελειότητος τοσοῦτον τῆς ἀσκήσεως εἴχετο ὥστε ἄρτου ἢ οἴνου ἢ τῶν ἄλλων ἐδωδίμων ἔκτοτε μὴ μεταλαβεῖν· καὶ οὕτω διήνεγκεν ἐπὶ χρόνοις ἑξήκοντα. hinc quis quaeso ea elicuerit quae apud anonymum legimus? non est quod ultra progrediamur, nam in fine operis quod nonnulla de Archippo et quasdam adhortationes Sisinnius adiecit, id tam rei aptum ac paene necessarium erat, ut minime oporteat e codice generis QCD ea desumpta arbitrari. sed ubicumque ambos libros inter se conferas uerba quaedam utrique communia inuenias, quae si Sisinnius apud anonymum legerat artificiosis eius sensibus includi consentaneum erat, ab anonymo ex illis selecta et in nudum eius ac rudem sermonem ibi potissimum ubi res ipsa poscebat inserta esse nemo umquam credet huiusmodi rerum uel mediocriter peritus.

Sisinnium non ex solo Metaphrasta, si modo eum secutus sit, sua descripsisse manifestum est. permulta enim et rebus et uerbis cum anonymo congruentia habet quae Metaphrasta omisit, ut § 6 haec de patre puellae mutae: τοῦτον δὴ βουληθέντα σὺν ἑτέροις ὁμόφροσιν ἔνθα τὸ ἅγιον ὕδωρ τὰς ἰάσεις ἐπήγαζεν ἀφικέσθαι ἐπὶ τὸ καταχῶσαι καὶ ἀφανισμῷ αὐτὸ παραδοῦναι κτλ., cf. anonymi 3, 17; § 8 de uictu Archippi : ποτῷ δὲ (ἐχρῆτο) ὕδατος οὐγγίαις τρισὶν εἰς ἀνάκτησιν τοῦ... σώματος, cf. 5, 14; χάριν τοῦ μὴ τούτους δρᾶσθαι, cf. 6, 6; τὸν τῆς ἀγρυπνίας πικρότατον... ὕπνον, cf. 6, 10; § 8 et 9 magnam partem orationis Archippi, cf. 6, 14 ss.; § 10 ἄλλοι τὸν πώγωνα ἔτιλλον, cf. 8, 20; § 12 ὡσεὶ πεντακισχιλίων ἀνδρῶν, cf. 11, 9; § 12 ἔν τε Λαοδικείᾳ γενόμενοι συμβούλιον τίθενται, cf. 11, 10 codd. Δ, quibuscum non tamen ausus est populum Laodicenum consilii participem facere. § 15; 16; 17 Archippi et Michaelis sermonum pleraque, cf. 14, 18 ss. idem § 5 non magis quam anonymus 2, 16 Philippum ab Ioanne seiungit, id quod a Metaphrasta factum esse supra docuimus. sed nimis diu in re manifesta morati sumus.

Sisinnius aeque ac Symeo anonymi narrationem μετέφρασεν· atque inter hos quae ratio intercedat iam restat ut quaeratur. nam alterutrum alterius libro usum esse his locis persimilibus uidetur probari posse. Sisinni § 3 τῶν τοῦ λόγου κηρύκων... τὰς πόλεις καὶ κώμας περιιόντων cf. cum Metaphrastae 20, 15; ὅσῳ καὶ πλειόνως ἠγαπήθη cf. cum 20, 17; τὸ ... τοῖς ἀνοήτοις τιμώμενον τῆς Ἀρτέμιδος... ἄγαλμα cf. cum 21, 11; § 7 ὁ δὲ ἀφυπνισθεὶς cum 22, 27; § 8 χρόνων ἐνενήκοντα cum 25, 25; § 12 ὁ τῶν ζιζανίων σπορεὺς cum 25, 19; § 13 ἀπὸ τῆς ἀκρωρείας ἀρξάμενοι cum 25, 24; § 15 εἰς οὐρανὸν διήκων cum 27, 9. at sunt haec uerba, dixerit quispiam, eiusmodi ut in scriptis eiusdem argumenti fieri potuerit ut fortuito a duobus scriptoribus eiusdem aetatis eisdem locis ponerentur. fieri potuisse fateor, at non est ueri simile ut factum sit. et sunt etiam res quaedam quamuis minutae quae cum sint ab anonymo alienae nescio an aliquam illorum peculiarem communionem indicent. uelut illa ὁ τῶν ζιζανίων σπορεὺς et Sisinnius § 12 et Metaphrasta 25, 19 non post fluuiorum descriptionem collocauerunt, ut pro anonymi 10, 10 multiplici illa diaboli appellatione supposita uideantur, sed paulo ante, et in sententia utrimque persimili: ὡς δ' ἀνήνυτον τὸ ἐγχείρημα καὶ οὐδὲν ἦν αὐτοῖς πλέον... διηποροῦντο ὅ τι καὶ δράσαιεν. ἀλλ' ὁ τῶν ζιζανίων σπορεὺς οὐκ ἐνεδίδου ὑποσπορῶν αὐτοῖς καὶ ὑποτιθέμενος ἅπερ ἦν εἰκός κτλ. etiam pro paruo oratorio anonymi 4, 17 Metaphrasta haec posuit 23, 19 ναοῦ... οἰκοδομὴ... καὶ πολυτελὴς ὀροφή, Sisinnius § 7 haec: τὸ ἐπ' ὀνόματι τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ αὐτόθι εὐκτήριον περικαλλὲς ἀπειργάσατο. nam illud non premo quod deinceps pergunt Metaphrasta passim, Sisinnius § 15 ναὸν illum dicere, quia etiam anonymus ναὸν appellat 12, 7 et οἶκον 13, 14. denique ea quae iam supra [1] attulimus uerba Sisinni § 8 οὗτος ἐπειδὰν πρὸς μέτρον ἧκε τῆς τελειότητος τοσοῦτον τῆς ἀσκήσεως εἴχετο ὥστε ἄρτου ἢ οἴνου ἢ τῶν ἄλλων ἐδωδίμων ἔκτοτε μὴ μεταλαβεῖν, consulto redarguere uidetur Symeo 24, 5 his uerbis: ὡς μήτε ἄρτον τὸ παράπαν μεταλαμβάνειν μήτ' ἄλλου τῶν εἰς βρῶσιν ἀνθρώπῳ μεταλαβεῖν ἀναγκαίων... καὶ ταῦτα παῖς ὢν καὶ μήπω τελεωτέρας ἁψάμενος ἡλικίας, ὃ μικροῦ καὶ ἀπιστίας ἐγγύτατα ἦν.

Iam puto omnes consentient et Metaphrastam suo more et Sisinnium anonymi narrationem retractauisse, perpauca illum ex actis apocryphis adiecisse ac uerba quaedam fortasse ab hoc mutuatum esse. solus igitur anonymus rerum inuentor aut saltem auctor primarius haberi debet, illos leget si quis uerborum tinnitu delectatur.

In menologiis adeo res contractae sunt et in angustum deductae ut discerni uix possit unde sumptae sint. sed ex anonymo libro eas repetitas esse coniectura est longe probabilissima. menologium enim Basilianum etiamsi cum Hermanno Vsener [2] ab eo imperatore com-

[1] P. XIV. — [2] *Legenden der Pelagia* p. 53.

positum statuamus qui regnauit ab anno DCCCCLXXVI ad MXXV, is tamen res non excogitauit sed quae in ecclesiis recitari iam solebant edi iussit. ipse autem Metaphrasta diem septembris sextum ideo narratione sua celebrauit quod eius diei sollemnitas iam instituta erat. nec si quid mutatum est, uelut cum unus fluuius pro duobus memoratur, sententia illa refutatur. nam praeterquam quod duo illi fluuii postquam coniuncti sunt unus dici potuerunt, etiam reliqua parum accurate scripta sunt et ab eo qui res memoria, non librum manibus tenuerit. menologiorum Basiliani et Veneti exempla infra posui ut qui anonymum legerint sciant fons ille quibus riuolis ad sescentiens centena milia hominum quotannis redundet.

Βιβλίον τοῦ σεπτεμβρίου μηνός... τυπωθὲν Ἐνετίῃσι παρὰ Ἀντωνίῳ τῷ Πινέλλῳ ... ἐπιμελείᾳ... Νικηφόρου Ἱερομονάχου τοῦ Πασχάλεως ἔτει... ,αχκή (MDCXXVIII).

τῷ αὐτῷ μηνὶ ϛ'

ἡ ἀνάμνησις τοῦ γενομένου παραδόξου θαύματος ἐν Κολασσαῖς τῆς Φρυγίας παρὰ τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαήλ.

Ὤφθης Μιχαὴλ σῷ ναῷ Νῶε νέος
χώνῃ ποταμῶν τὸν κατακλεισμὸν λύων.
Ῥοῦν Μιχαὴλ ποταμῶν χώνευσε νόων ἀγὸς ἕκτῃ.

Φθόνῳ τηκόμενοι ἐπὶ τοῖς παραδόξως γενομένοις ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ ἄνδρες ἑλληνίζοντες τὸν παραρρέοντα ἐγγύθεν ποταμὸν ἐβουλεύσαντο κατὰ τοῦ ναοῦ στρέψαι, ὥστε καὶ τὸν ναὸν [1] κατακλύσαι καὶ τὸν προσμένοντα αὐτῷ ἄνδρα τίμιον τὸν Ἄρχιππον ἀπολέσαι. φανεὶς δὲ καὶ μόνον ὁ θεῖος ἀρχιστράτηγος καὶ θαρρεῖν ἐγκελευσάμενος τῷ Ἀρχίππῳ πλήσσει ῥάβδῳ τὴν πέτραν καὶ πάροδον ἐν αὐτῇ ποιήσας τοῦ ποταμοῦ ἐξ ἐκείνου μέχρι καὶ τοῦ νῦν παροδεύων ὁρᾶται χωνευόμενος.

Menologium Graecorum iussu Basilii imp. gr. olim editum nunc gr. et lat. prodit stud. et op. An. Albani, Romae 1727 [2].

μηνὶ τῷ αὐτῷ ϛ'

ἡ ἀνάμνησις τοῦ ἐν Χώναις θαύματος τοῦ μεγάλου ἀρχιστρατήγου τοῦ θεοῦ.

Ἐν τῇ καλουμένῃ νῦν μὲν τῶν Χωνῶν πόλει πρότερον δὲ Κολασσαέων ὑπῆρχεν ἀνήρ τις ὄνομα Ἄρχιππος εὐλαβὴς καὶ φοβούμενος τὸν θεόν. οὗτος προσκαθεζόμενος ἐν τῷ ὕδατι τῷ διὰ τῆς ἐπισκέψεως τοῦ μεγάλου ἀρχιστρατήγου ἀναβρύοντι καὶ διὰ τὰ γενόμενα διὰ τοῦ ὕδατος θαύματα πολλοὺς τῶν ἀπίστων ἐπιστρέφων καὶ βαπτίζων ἐκίνησε πρὸς φθόνον τοὺς ἕλληνας μὴ φέροντας βλέπειν τὰ παράδοξα θαύματα. βρύχοντες οὖν τοὺς ὀδόντας κατὰ τοῦ σεπτοῦ ἁγιάσματος καὶ τοῦ ὁσίου Ἀρχίππου συναχθέντες ἄπειρα πλήθη καὶ δήσαντες δύο μεγάλους ποταμοὺς καὶ μίξαντες ἀμφοτέρους ἀπέλυσαν εὐθέως τοῦ καταστρέψαι τὸν ναὸν καὶ τὸ ἁγίασμα καὶ τὸν Ἄρχιππον· ὡς δὲ ἤκουσεν ὁ Ἄρχιππος τοῦ βρυγμοῦ τῶν ὑδάτων παρεκάλεσε τὸν ἀρχιστράτηγον βοηθῆσαι· καὶ εὐθέως φανεὶς ἔκρουσε τὴν πέτραν μετὰ τῆς

[1] Λαὸν ed. — [2] Descripsit Migne, *Patrol. gr.* t. CXVII p. 33 C.

ῥάβδου ἧς κατεῖχε καὶ ἐχώνευσε τὰ ὕδατα ἐν αὐτῇ· καὶ ἐκλήθη ὁ τόπος ἔκτοτε Χῶναι [1].

Praeter anonymum Sisinnium Metaphrastam quartum quendam librum de miraculo Chonis patrato Michael Le Quien memorare uidetur his uerbis quae adscripsit ad Ioannis Damasceni commentarium in Pauli epistulam ad Colossenses 1, 1: Narrationem inquit [2] habeo Ioanni Damasceno ascriptam qua fertur Michael archangelus Chonae uel Chonis in Phrygia apparuisse. Sed de ea re quoniam nihil aliud compertum habetur et permirum sit si liber inlustrissimi illius scriptoris nomine quamuis falso ornatus nec superiore aetate sit saepius descriptus nec nostris temporibus a pluribus animaduersus, equidem crediderim anonymi aliquod exemplum illi oblatum esse non antiquitus sed ab eo qui obtulerit siue diuinando ne dicam hariolando seu per fraudem Ioanni Damasceno adscriptum.

[1] Menologio paulo pleniore sermone graeco uolgari conscripto usus est Iacobus Goar, qui ad Ioannis Scylitzae p. 834 (Migne, *Patrol. gr.* t. CXXII p. 415) ex eo rem breuiter refert, dein haec adicit: Monasterium uoragini superstructum adhuc exstare et urbi Μιχαὴλ Χώναις nomen ab eo impositum docent qui uisu utrumque lustrauerunt. — [2] Apud Migne, *Patrol. gr.* t. XCV p. 883.

CAPVT III.

De Ioanne et Philippo apostolis.

Cur ab apostolis primam rei memoriam scriptor repetierit non est quod quaeratur. nam cum aegre miraculum illud acceptum iri sentiret de quo nemo quicquam ante fando audisset, simul rerum gestarum maiestatem atque adeo ipsam fidem sciret uetustate augeri, quoniam a priscis illis sacrorum christianorum propagatoribus miraculum patratum esse non poterat legentibus persuadere, saltem praedictum esse adseuerauit. Philippum autem et Ioannem potissimum ut huic muneri praeficeret haec causa fuit quod in actis apostolorum apocryphis illos Hierapolim uenisse legerat. acta Ioannis haec fuisse Theodorus Zahn sibi persuasit [1]. rectius ut solet iudicauit Ricardus Adalbertus Lipsius [2] ex actis Philippi illa hausta esse. nam huius propriam quodam modo et peculiarem prouinciam Hierapolim fuisse multae actorum illorum reliquiae et alii scriptores qui illa legerant testantur [3] et uenisse eodem Ioannem in actis illis etiam nunc legitur [4]. atque haec quidem acta a scriptore narrationis exscripta esse Zahnius suo iure negare uidetur, quoniam in actis Philippo iam morituro Ioannes succurrere, in narratione de Michaelis miraculo idem cum Philippo uiuo ut alias urbes obeat Hierapoli egredi dicitur. quamquam nihil obstat quominus iam antea Ioannem cum Philippo Hierapoli coniunctum fuisse acta tradiderint. immo, quod Philippus a Bartholomaeo quaerit [5] ubi sit in periculo suo Ioannes, eo significare uidetur illum iam antea socium suum fuisse inter apostolos peculiarem. at esto, non ad uerbum ille acta Philippi exscripserit: non sequitur ut ne res quidem ex iis hauserit sed alios fontes adierit uelut acta Ioannis uetustiora ut uolt Zahnius. non grauis alicuius et docti rerum scriptoris fidem integram intactamque prae se ferebat qui cetera omnia leuiter ex uano finxit, neque euoluit tum uetera uolumina cum de apostolis alius rei causa pauca relaturus erat. sed cum meminisset quae antea legerat duos illos apostolos Hierapoli fuisse et alteri uiperam illam multa negotia facessisse, satis id sibi argumenti esse duxit ut utrumque cum illa pugnantem induceret et mira illa horribilis serpentis descriptione legentium animos oblec-

[1] *Acta Ioannis,* Erlangae 1880, p. LXXX. — [2] *Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden* II 2 (Brunsuicae 1884) p. 24. — [3] Cf. *Acta apost. apocr.* ed. Tischendorf p. 75 ss.; Lipsius, *D. apokr. Apostelgesch.* II 2 p. 25 s. — [4] *Acta ap. ap.* ed. Tischend. p. 83 ss. — [5] Cap. 21 p. 83.

taret et uanissimum suum illud commentum quasi apostolorum auctoritate firmaret. multi etiamtum acta illa apocrypha cum ceteris uitis sanctorum et miraculis lectitabant, multi illa memoria tenebant, neque magis illa quam aut Abrahae aut Moysis aut Iesu facta et dicta ex libris repeti necesse erat : hominibus ut tum erant litteratis ea omnia in promptu erant. quod qui concesserit, etiam quae de Diana ab Ioanne Epheso depulsa memorat ex actis Ioannis [1] ei nota fuisse dabit, quae et Zahnius et Lipsius ut erat consentaneum ex eodem libro sumpta putant ac reliqua illa de Ioanne et Philippo narrata. itaque nec acta Philippi fingemus Ioannis facta Ephesina nec acta Ioannis Philippi facta Hierapolitana commemorasse, sed ex utrisque quaedam nostrum scriptorem quae meminerit protulisse statuemus. uerba autem illa ἦν γὰρ καὶ αὐτὸς πολεμῶν μετὰ τῆς ἐχίδνης non cum Lipsio [2] ex actis Philippi fluxisse crediderim sed a scriptore eo consilio adiecta esse ut itineris Ioannei Hierapolitani rationem redderet. scilicet ἔχιδναν rebatur eandem esse ac serpentem antiquum uel diabolum, rei christianae sub qualibet persona uenenatum et pestiferum aduersarium. accurata autem uiperae descriptio quod nunc abest ab actis Philippi, id quidem non mirabimur si retractata ea et contracta esse reputauerimus [3]. locum illa habuit peropportunum cap. VII [4] post primam Philippi orationem. et ibi et paulo post [5] praeter uiperam alii serpentes filii eius memorantur, sicut infra 2, 2 ss. uipera serpentium prima esse dicitur et reliquis omnibus stipari et circumdari. denique ne descriptionem quidem illam ad uerbum ex actis repetitam crediderim, sed omnia ex memoria deprompta et ad usum praesentem conuersa.

De loco qui Chaeretopa dicitur paulo post quaeretur. cuius nomen ex actis huc translatum equidem crediderim, nam uix aliter expedietur negotium quod eo nomine facessitur maximum. apostolos autem ambo eo progressos esse et ibi consedisse uix potuit in actis scriptum esse. immo ex eis in codice C et apud Metaphrastam eum errorem correctum esse supra [6] demonstrauimus. fons denique aquis salutaribus quod ibi ad apostolorum praedictionem exsistere narratur, id uero perquam credibile est nunc demum adici. hoc enim fonte, ad quem deinceps oratorium aedificatum et malorum insidiis eum petitum et Michaelis interuentu conseruatum esse refert, hic scriptor carere non poterat, immo, nisi fons et oratorium fuissent, neque inueniendi neque narrandi miraculi causa fuisset. actorum autem fabulae non solent ita cum christianorum locis sanctis coniunctae

[1] Cf. Lipsius, *D. ap. Apostelgesch.* I p. 430 s. — [2] II 2 p. 25. — [3] Cf. Lipsius, II 2 p. 22 ; 24 ; al. — [4] P. 77 Tischendorf. — [5] Cap. 17 p. 81. — [6] P. XIII.

esse ut de religionum origine et causis quaeratur. Lipsius uir clarissimus fabulam eam fuisse ἐπιχώριον perperam ut mihi quidem uidetur conicit [1]. nam etiamsi terrae illius incolae Philippo apostolo suo aut Ioanni minus sibi familiari aut utrique fontem illum salutarem acceptum rettulissent, non erat quod cum praedictione illa miraculi Michaelis fontis ortum coniungerent. hoc quidem certe fecit is qui de miraculo illo iam narraturus erat. cui non multo difficilius fuit rem totam comminisci. at ne illud quidem uidetur concedi posse. nam si ab apostolis incolae fontem excitatum esse crederent, cur Michaelem inuócarent? hunc autem solum et circum fontem adorari solitum et in eius honorem templum aedificatum esse et anonymus cum adseclis suis et omnes praeterea rerum scriptores uno ore testantur. qua de causa ne illud quidem quod nuperrime Petrus Batiffol proposuit [2], miraculi memoriam ea narratione quam nos in lucem protraximus multo antiquiorem inde ab initio cum Philippi et Bartholomaei apostolorum rebus Hierapolitanis coniunctam fuisse, nobis uir doctissimus probauit.

[1] II 2 p. 24. — [2] *Studiorum patristicorum* fasc. I, Paris. 1889, p. 33.

CAPVT IIII.

De Archippo.

Archippum qui uerum hominem fuisse credent eos ualde uereor ne opinio fallat. nihil est enim in eo nisi quae eremitarum fere communia sunt praeter nomen, id autem ipsum suspicionem mouet, quoniam Archippum paulo post Hierapolim nominat Paulus apostolus in epistula ad Colossenses data [1]. non quo ueri simile sit a scriptore illum ipsum significatum esse, nam multis annis post apostolorum aetatem oratorium aedificatum esse et nonaginta annis post oratorium aedificatum Archippum puerulum eo uenisse fingit, neque porro Petrus Batiffol uir doctissimus [2] nobis persuasit miraculi memoriam antiquissimam ad uerum illum Archippum pertinuisse: quis enim scriptorem credat, si rem apostolorum aetate gestam accepisset, multis annis post actam relaturum fuisse? sed si ipsum nomen comminiscendum erat hominis sancti et religiosi ex illa terra oriundi, nullum certe aliud magis in promptu erat aut magis idoneum quam id quod amico Pauli apostoli Hierapolitano aut Laodiceno fuisse libri sacri docerent.

Negaui quicquam de eo referri quo reuera eum aliquando fuisse appareat. perfacile multa eiusmodi colligas qualia de eius uita traduntur. pauca exempli causa apposui ex Palladii historia Lausiaca deprompta [3]:

1 p. 1009A κατέλαβον δὲ τοῦτον (Ἰσίδωρον) ἐγὼ ἐτῶν ἑβδομήκοντα γέροντα ὃς ἐπιζήσας πεντεκαίδεκα ἄλλα ἔτη τελευτᾷ ἐν εἰρήνῃ· οὗτος ὁ ἅγιος μέχρις αὐτῆς τῆς τελευτῆς οὐκ ὀθόνην ἐφόρησεν ἐκτὸς φακιαλίου, οὐ λουτρῷ ἐχρήσατο, οὐ κρεῶν ἥψατο, οὐ τραπέζης ποτὲ πρὸς κόρον ἐνεφορήθη.

2 p. 1011B ἤσθιεν μὲν γὰρ οὐγκίας ἓξ ἄρτου καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ λεπτολαχάνων δέμα· ἔπινεν δὲ ὕδατος τὸ ὅσον· ἐπὶ θεοῦ μάρτυρος οὐκ ἔγνων τοῦτον ἁπλώσαντα πόδας, οὐ καθευδήσαντα ἐξεπίτηδες ἢ ἐπὶ ψιαθίου ἢ ἐπὶ κλίνης.

9 p. 1027AB (Ὢρ) ἤσθιεν μὲν βοτάνας καὶ ῥίζας γλυκείας, ἔπινεν δὲ καὶ ὕδωρ ὅτε ηὕρισκεν, ἐν εὐχαῖς καὶ ὕμνοις διατελῶν πάντα τὸν χρόνον... λαχάνοις συνθέτοις μόνον ἀρκούμενος, πολλάκις δὲ καὶ δι' ἑβδομάδος μόνης μεταλαμβάνων.

19. 20 p. 1051B τέσσαρας ἢ πέντε οὐγκίας ἐσθίων, καὶ τὸ ἀντίρροπον τούτων πίνων ὕδωρ.

22 p. 1067A οὐδενὸς ἄλλου μεταλαμβάνων πλὴν ἄρτου ξηροῦ ἐν οὐγκίαις δεκαδύο.

[1] 4, 13; 4, 17; cf. *ep. ad Philem.* 2. — [2] *Stud. patrist.* I p. 33; cf. supra p. xx. — [3] Apud Migne, *Patrol. gr.* t. XXXIV.

91 p. 1196C οὗ (Παφνουτίου) φέρεται ἐγκώμιον ἀρετῆς ὅτι ὀγδοήκοντα ἔτη οὗτος ὑφ' ἓν δύο χιτῶνας οὐκ ἔσχεν [1].

Ecce multorum annorum temperantiam, ecce cibi et potus et balnei abstinentiam, ecce cibum unciatim adpensum, ecce lachana, ecce insomnia, ecce uestium uilitatem, ecce preces et cantica. quae omnia scriptori anonymo non difficilius fuit quam nobis ex aliquo de uita patrum uolumine describere aut talia qualia oculis eius obuersabantur enarrare. nam toto orbe terrarum uigebat inde a saeculo post Christum natum quarto ἄσκησις illa ἀγγελικὴ [2] et summam hominum admirationem excitabat.

Mores Archippi et indoles paulo minus communes sunt nec tamen adeo natura eius est propria ut necessario uideatur uera. est homo timidus simul et obstinatus quales fuisse perhibentur haud pauci eorum quorum facta in bybliis referuntur, Abraham, Iacob, Petrus, Ionas, sed minime nauus et quod illi quidem fuerunt acer et industrius. Ionae simillimus est ploranti et gementi. canere et orare ei pro labore est et contentione et certamine.

Dicitur Archippus προσμονάριος fuisse oratorii Chonensis. qua uoce hybrida significabantur aeditui quidam templorum qui canonici nec tamen clerici habebantur ut apparet e canone altero concilii Chalcedonensis anni CCCCLI [3]. primus dicitur fuisse non dignitate, nemo enim socius eius memoratur, sed, quod mireris, temporum ordine. scilicet per nonaginta annos sacellum paganorum ira et odio frendentium multitudine circumdatum nulla tutela egebat? sed minima non curat hic scriptor.

Archippum libri scriptorem esse credidit aut alios sibi credituros esse sperauit is qui libro inscripsit ea quae iam in archetypo codicum nostrorum legebantur διήγησις καὶ ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου Ἀρχίππου κτλ. haec enim siquis sic interpretetur ut significent narrationem de reue-

[1] Cf. etiam c. 32 p. 1091 C; 41 p. 1137 A; 86 p. 1194 C; al.; *acta Pauli et Theclae* 43 p. 60 Tischendorf ᾤκησεν ἐν σπηλαίῳ χρόνους ἑβδομήκοντα δύο ἐσθίουσα βοτάνας καὶ ὕδωρ; *Metaphr. uit. Marcelli* p. 709 C Migne εἰ δέ που καὶ μικρόν τι τῷ ὕπνῳ ἀπένειμε δι' αὐτὴν (scr. διὰ τὴν ?) ἀνάγκην τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐδὲ αὐτῷ (scr. αὐτὸ ?) ἄνετον ἦν, ἀλλ' ἐπίπονον καὶ κεκολασμένον; *Vitae patrum*, ed. Herib. Rosweydus, Antuerp. 1615, 1 Abrah. p. 150 B; 5, 8, 4 p. 592 A; 10, 22 p. 861 A; al. — [2] Propter uirginitatem sic dicta, cf. H. Vsener, *Religionsgeschichtliche Untersuchungen*, Bonn 1889, t. I p. 48, sed reliquis quarum exempla protulimus uirtutibus non minus insignis. — [3] Labbe et Cossart, *Concil.* t. IV p. 755 εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο... καὶ χειροτονήσῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον ἢ χωρεπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον ἢ διάκονον ἢ ἕτερόν τινα τῶν ἐν τῷ κλήρῳ καταριθμουμένων ἢ προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον ἢ ἔκδικον ἢ προσμονάριον ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος. de canone et clero cf. Suiceri *Thesaurus ecclesiast.* t. II p. 36 et 40. prosmonarii memorantur a Constantino Porphyrog. *de caerim. aulae Byz.* 1, 1 p. 18, 18 Bonn.

latione Archippo facta, is cum uim uerbis inferat tum malo non medeatur, quoniam Michael, non Archippus debebat in hoc titulo locum obtinere primarium. significant autem illa uerba aperte narrationem et reuelationem ab Archippo factas. unde apparet postmodo ea adiecta esse cum ipse scriptor aut alia aut nihil libro suo inscripsisset. nam non potuisse eum qui librum scripserit ab Archippo eum scriptum dicere intelleget quicumque eum legerit et pridem perspexerunt Bollandiani [1]. quis autem aut qua de causa tam inepte egerit nescire me fateor. hoc suspicor, librarium aliquem, cum liber sine nomine circumferretur aut certe illi in manus uenisset, inspectis primis paginis nomen quod ibi legisset libro inscripsisse. nam illud uix uidetur cum aliqua similitudine ueri fingi posse, quo inscriptio ipsi scriptori uindicetur, illum in ea parte libelli quam deesse diximus siue scripsisse siue scripturum fuisse rem totam sibi ab Archippo narratam ac reuelatam esse. nam etiamsi uoluisset tali commento narrationi suae auctoritatem adferre et fidem, statim ab initio, non in fine id faciendum fuit, ac ne tum quidem hanc narrationem, in qua multa insunt quae non potuit ab Archippo accipere, licebat Ἀρχίππου διήγησιν nuncupare. sed falsam esse inscriptionem etiam ἀρχαγγέλου uocabulum comprobat in ea positum, cum ab ipso scriptore ne semel quidem usurpatum sit. nam illud non premo quod ea quae inscriptionis loco in libris manu scriptis leguntur multum inter se discrepant ; quippe ex uno tamen atque eodem fonte ea omnia deriuata esse apparet.

[1] *AA. SS.* sept. t. VIII p. 41 B § 199.

CAPVT V.

De miracvlis.

Aquae calidae erant olim apud Hierapolim plurimae et celeberrimae [1] quas etiam nostra aetate multi uiderunt et spectaculum praebere prorsus mirificum omnes uno ore testantur [2]. solent autem eiusmodi aquae pluribus locis eiusdem regionis profluere nec mirum si etiam Chonis, quae ab Hierapoli prope aberant, fons aquae salutaris exstitit. ac uidit Pocockius [3] in eo loco in quo Chonas positas fuisse plerique arbitrantur canales plurimos aqua quidem destitutos sed eiusmodi crustis inductos quales aquae Hierapolitanae efficiunt. fons autem iste quod tamquam pignus quoddam promissi apostolici ortus esse narratur non tam ab incolis antiquitus creditum et traditum quam ab eo qui loci illius miracula omnia ac praecipue Michaelis praesentiam usque ab apostolis repetere uellet inuentum uideri supra demonstratum est [4]. nam incolis sat erat Michaeli archangelo beneficia fontis accepta referre. etiam qui euangelii Ioannis caput v interpolauit ab angelo aquam Bethesdae piscinae Hierosolymitanae salutariter turbari solitam scripserat [5]. Michaelem archangelum eum fuisse ait scriptor quidam ignotus qui locum illum euangelii quarti dilatauit. cuius opusculum seruatum eodem codice Angelicano quo narratio anonymi et suum in usum descriptum Hermannus Vsener mihi utendum tradidit [6]. incolae autem terrae illius iam antiquitus angelorum cultui dediti erant nec ab ea religione reuocati sunt admonitione illa quae est in epistula ad Colossenses data [7] μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων. Theodoreti quidem in commentariis ad illum locum adscriptum legimus in Phrygia et Pisidia illum morem seruatum esse et ea de causa concilio Laodiceno coacto lege sanctum esse ne angeli adora-

[1] Strabo 13 p. 629 Ἱερὰ πόλις, ὅπου τὰ θερμὰ ὕδατα... οὕτω δ' ἐστὶν ἄφθονον τὸ πλῆθος τοῦ ὕδατος ὥστε ἡ πόλις μεστὴ τῶν αὐτομάτων βαλανείων ἐστί. — [2] Velut R. Pococke, *Description de l'Orient*, trad. de l'angl., Paris 1771, t. V p. 144 s.; Fr. V. I. Arundell, *A Visit to the seven churches of Asia*, London 1828, p. 79 s.; William I. Hamilton, *Researches in Asia Minor*, London 1842, t. I p. 517 s.; P. de Tchihatcheff, *Asie Mineure*, Paris 1853, t. I p. 344 ss. — [3] T. V p. 150. — [4] P. xx. — [5] Io. 5, 4 ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ· ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος ὑγιὴς ἐγίνετο ᾧ δή ποτε κατείχετο νοσήματι. — [6] Cod. Angelicanus B 2. 2 f. 236 περὶ τοῦ παραλύτου. ἀπὸ τῶν θαυμάτων τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαήλ. — [7] 2, 18.

rentur. ac suo etiam tempore oratoria ait sancti Michaelis apud illos homines et eorum finitimos exstare [1]. canonem significat concilii Laodiceni xxxv, quo christiani uetantur ecclesiam dei deserere et abire ut angelos inuocent coetusque in eorum honorem habeant [2]. templa sancti Michaelis apud Antiochiam sita Procopius memorat [3], alia Sozomenus [4] et Cedrenus [5]. postea satis constat etiam in alias gentes ac praecipue in Italiam in montem Garganum [6] atque in Normanniam in montem Tumbam [7] cultum sancti Michaelis propagatum esse. sed haec nihil ad nos, cum Phrygibus nobis res est, qui Michaelem archangelum summo opere uenerabantur atque hoc precatore illa aqua adhibita sanitatem se impetrare credebant [8].

Inter homines tali superstitione obligatos facile fieri potuit ut quoduis naturale prodigium ab eodem illo archangelo effectum crederetur, et erunt qui mirentur cur narrationem de oratorio ab aquarum impetu defenso et fluuiis in terrae hiatum praecipitatis ab uno aliquo homine certo consilio semel excogitatam putem, non forte ac temere a pluribus non tam inuentam quam quasi imprudentibus et inscientibus creditam et receptam, dein paulatim exornatam ac memoriae proditam, postremo talem fere qualem nunc legimus litteris mandatam. eius rei iam uideo mihi rationem reddendam esse.

Ac primum non ita quae dixi accipi uelim quasi omnino negauerim loci incolas potuisse, cum contemplarentur uastum illum gurgitem

[1] Theodoret. *in Col.* 2, 18, *Patrol. gr.* ed. Migne t. LXXXII p. 613 A οἱ τῷ νόμῳ συνηγοροῦντες καὶ τοὺς ἀγγέλους σέβειν αὐτοῖς εἰσηγοῦντο, διὰ τούτων λέγοντες δεδόσθαι τὸν νόμον. ἔμεινε δὲ τοῦτο τὸ πάθος ἐν τῇ Φρυγίᾳ καὶ Πισιδίᾳ μέχρι πολλοῦ. οὗ δὴ χάριν καὶ συνελθοῦσα σύνοδος ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας νόμῳ κεκώλυκε τὸ τοῖς ἀγγέλοις προσεύχεσθαι· καὶ μέχρι δὲ τοῦ νῦν εὐκτήρια τοῦ ἁγίου Μιχαὴλ παρ' ἐκείνοις καὶ τοῖς ὁμόροις ἐκείνων ἔστιν ἰδεῖν. — [2] Labbe et Cossart, *Concil.* t. I p. 1504 ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ καὶ ἀπιέναι καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν καὶ συνάξεις ποιεῖν, ἅπερ ἀπηγόρευται. εἴ τις οὖν εὑρεθῇ ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων, ἔστω ἀνάθεμα, ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ εἰδωλολατρείᾳ προσῆλθεν. — [3] *Bell. Pers.* 2, 11 p. 199 Bonn. (Χοσρόης) ἐς Δάφνην ἀνέβη τὸ Ἀντιοχείας προάστειον... καὶ θύσας ταῖς νύμφαις ἀπιὼν ᾤχετο ἄλλο μὲν οὐδὲν λυμηνάμενος, τοῦ δὲ ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ τὸ ἱερὸν καύσας... ἐς χῶρον κρημνώδη ἀμφὶ τὸν λεγόμενον τρητὸν ἦλθε... οὗ δὴ τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ νεώς ἐστιν Εὐάριδος ἔργον. p. 200, 13 alterum hoc esse templum apparet. — [4] *Hist. eccl.* 2, 3 p. 48 (t. LXVII p. 940 B Migne) τόπος δὲ οὗτος ὁ νῦν Μιχαήλιον ὀνομαζόμενος ἐν δεξιᾷ καταπλέοντι ἐκ Πόντου εἰς Κωνσταντινούπολιν... ἔλαχε δὲ τὸ χωρίον τοῦτο τὴν νυνὶ κρατοῦσαν προσηγορίαν καθότι πεπίστευται ἐνθάδε ἐπιφαίνεσθαι Μιχαὴλ τὸν θεῖον ἀρχάγγελον. — [5] *Hist. compend.* p. 120 (p. 210, 16 Bonn.) τοῦτο τὸ ἱερὸν (ab Argonautis aedificatum) ὕστερον ὁ μέγας ἐν βασιλεῦσι Κωνσταντῖνος κατ' ὄναρ χρηματισθεὶς μετεποίησε... τὸν δὲ ναὸν τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ ἐκάλεσε πᾶσαν καλλιεργίαν καὶ καρποφορίαν ἐν αὐτῷ τυπώσας. — [6] *AA. SS.* sept. t. VIII p. 61 ss. — [7] *AA. SS.* sept. t. VIII p. 76 ss. — [8] Cf. infra 4, 10; 12; 16; cet.

quo uiolenti torrentes exciperentur, siue ille inde ab origine rerum ibi fuit siue post hominum memoriam terrae motu effectus est, patroni sui caelestium turmarum praefecti eum ui ac uirtute discissa praealta rupe in terrae solum demissum et impressum esse arbitrari. nam id quidem quin sibi animis fingerent fieri uix poterat. nam ubicumque terrarum loci alicuius natura inuisitata hominibus rudibus et imperitis admirationem mouet, ibi uidemus aut deorum id aut sanctorum, aliquando diaboli operae tribui. sed reliqua omnia nego popularibus fabulis tradita et uolgo recepta esse antequam scriptis mandata sint. nempe totum id fabularum genus, cuius haec narratio specimen est luculentissimum, quod αἰτιολογικὸν id est ad rerum mirabilium causas aperiendas natum dicitur, non solet ut uerae fabulae quae sunt de deorum natura et nominibus et actis et casibus, quos harum rerum periti proprie mythos appellant, forte ac temere in hominum animis aliquo errore ductis aut pauore perculsis aut naturae pulchritudine ac maiestate in admirationem et adorationem raptis oriri, sed ab uno aliquo homine excogitari, qui, cum ad miraculum aliquod mens conuersa sit et causae cognoscendae studio capta, non rem ipsam qualem oculis adspexit et animo exornauit uerbis splendidis exprimit, sed quod quaerendo et ratiocinando de rei causa effecisse sibi uidetur quasi memoriae proditum et certum exploratumque credulis auditoribus proponit. uix autem in ulla eiusmodi narratione manifestius quam in ea qua de agimus id ita esse apparet. uix ulla tam certa rerum consulto et cogitate inuentarum indicia praebet. ansam dedit ut supra dixi et ad quaerendum et ad inueniendum gurges aliqui prope Michaelis oratorium situs in quem se fluuius abdebat, quales complures et antiquitus in illis locis fuisse et hodie esse infra ueterum ac recentiorum scriptorum testimoniis confirmatum est, ac praeterea saxa quaedam hominum figuris simulata, quae isdem in locis adfuisse minime mirabitur qui apud Strabonem [1] aut Plinium [2] et apud nostrae aetatis peregrinatores illos Pocockium [3] Hamiltonem [4] Tchihatcheffium [5] legerit aquis Hierapolitanis aliisque eius uiciniae res uarias in saxa conuerti, aut potius quandam quasi faecem rebus imponi quae cum obduruerit lapidum mira formarum uarietate notabilium speciem praebeat. sed

[1] 13, 14 p. 629 ... καταντικρὺ Λαοδικείας Ἱερὰ πόλις ὅπου τὰ θερμὰ ὕδατα καὶ τὸ Πλουτώνιον ἄμφω παραδοξολογίαν τινὰ ἔχοντα· τὸ μὲν γὰρ ὕδωρ οὕτω ῥᾳδίως εἰς πῶρον μεταβάλλει πηττόμενον, ὥστ' ὀχετοὺς ἐπάγοντες φραγμοὺς ἀπεργάζονται μονολίθους. p. 630 τὸ δὲ τῆς ἀπολιθώσεως καὶ ἐπὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ ποταμῶν φασι συμβαίνειν. — [2] *N. H.* 31, 2 (20), 29 in Colossis flumen est quo lateres coniecti lapidei extrahuntur. — [3] *Description*, t. V p. 145; 150; al. — [4] *Researches*, t. I p. 506 s.; 511; 513; 515; 517 ss.; al. — [5] *Asie Mineure*, I p. 347; 351; 352; 353; al.

cum illud procliue esset ac paene ut dixi necessarium ut uolgus Michaelem utriusque miraculi auctorem perhiberet, qui ita utrumque coniunxit ut eodem tempore et eadem de causa factum fingeret, quique rem ita enucleauit ut conspirationem illam multorum hominum maleuolorum et fossam a montibus ad rupem usque perductam et priores e Chryse flumine comparatas insidias et Archippum prosmonarium, hominem de nihilo creatum ut esset quem Michael custodiret et ab aquarum impetu uindicaret, atque, ut uno uerbo complectar, omnes istos rei tamquam gradus singillatim persequeretur, is cum statuisset ac deliberasset locorum naturae rationem reddere studiose atque operose munus suum exsecutus est, nec tam ipse illa credidit quam aliis persuadere conatus est. nam omnia illa non ut fieri solet cum uolgus fabulas fingit quaedam rerum necessitudo ac series naturalis, non ratio, non denique res ipsa poscebat, sed narrator suo arbitrio delegit et composuit. ac mitto diaboli instigationem, mitto Archippi cum Michaele colloquium atque uictum eius et precationes, mitto puellam mutam, mitto apostolos, quae omnia a scriptore, si scriptor ab inuentore diuersus fuit, adici potuisse concedo. satis eis quae protuli sententiam meam confirmari arbitror.

CAPVT VI.

De locis.

De locis erunt qui mirabuntur quod quaestionem instituo, quoniam Chonis miraculum patratum ipsa inscriptio demonstrat et omnia uno in loco facta esse uidentur. at est quaestio ardua et nescio an omnium difficillima. inscriptionem enim libri falsam esse supra demonstrauimus, ipse autem scriptor libri quid narrat? Hierapoli apostolos profectos consedisse in loco cui Chaeretopa nomen fuerit ibique praedixisse Michaelem descensurum eo, ἐνταῦθα, et miracula magna ibi patraturum (2, 16; 3, 3), atque in eodem loco, ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ, fontem erupisse salutarem (3, 6); eius deinceps aqua puellam Laodicenam esse sanatam (4, 4; 13) et supra eum ab illius patre oratorium aedificatum (4, 17); in eo oratorio ad illum fontem Archippum habitasse (5, 7); in rupem prope oratorium sitam descendisse Michaelem et oratorium illud atque fontem discissa rupe ab aqua defendisse, et huic loco eum bene dixisse (12, 5; 14, 17; 18, 1; 8). Chaeretopis igitur, non Chonis omnia uidentur facta esse. Chaeretopa autem alia ciuitas est, non, ut possit aliquis, quia satis ignobilis illa est, suspicari, Chonarum aliqui uicus. itaque necessario optandum est utrum Chonis an Chaeretopis rem euenisse statuamus. quod quo prudentius et consideratius fiat, haud ab re erit quae de utraque ciuitate a ueteribus tradita sunt quaeque recentiores qui illum terrae tractum uiderunt de eo rettulere paucis complecti.

Colossae seu quis Colassas mauolt dicere — sic enim recentiores scripsere — ciuitas fuit Phrygiae Pacatianae Herodoti [1] et Xenophontis [2] aetate magna, posita ad Lycum fluuium. is Cadmo monte oriundus [3] prope Colossas in terrae quendam hiatum descendebat, dein sescentorum fere passuum spatio interposito sese inde expediebat, haud longe ab Laodicea praeteribat, postremo prope Hierapolim in Maeandrum influebat [4]. nostra aetate appellatur ab accolis Tchoruk-Su uel Tchoruk-tchai [5]. memorantur praeterea transeuntes per

[1] 7, 30. — [2] *Exped. Cyri* 1, 2, 6. — [3] Strab. 12, 16 p. 578 ὄρος Κάδμος ἐξ οὗ ὁ Λύκος ῥεῖ. — [4] Herod. 7, 30 Κολοσσὰς πόλιν... ἐν τῇ Λύκος ποταμὸς ἐς χάσμα γῆς ἐσβάλλων ἀφανίζεται, ἔπειτα διὰ σταδίων ὡς πέντε μάλιστά κῃ ἀναφαινόμενος ἐκδιδοῖ καὶ οὗτος εἰς τὸν Μαίανδρον; Strabo 12, 16 p. 578 τὸ πλέον δ' οὗτος ὑπὸ γῆς ῥυεὶς εἶτ' ἀνακύψας συνέπεσεν εἰς ταὐτὸ τοῖς ἄλλοις ποταμοῖς; et paulo ante: ὁ Λύκος <ὃς?> συμβάλλει τῷ Μαιάνδρῳ ποταμῷ ποταμὸς εὐμεγέθης; cf. Plin. *N. H.* 2, 102 (105), 225; Ouid. *met.* 15, 273. — [5] Hamilton, *Researches in Asia Minor*, t. I p. 509; Tchihatcheff, *Asie Mineure*, p. 258.

illa loca Caper fluuius et Asopus, qui Laodiceae latera adluebant [1], et Cadmus, quem e Cadmo monte profluere Strabo testatur [2]. sed plures fuisse fluuios regionis montuosae nec Lycum ita per milia passuum quadraginta aut eo amplius cucurrisse ut cum nullo alio commisceretur credibile est et qui nostra aetate illa loca lustrauerunt fluuios et riuos complures in illum influentes uiderunt [3]. quorum uni quin Χρύσης nomen fuerit (9, 13), alii Κοῦφος, alii Λυκόκαπρος (10, 7 s.), equidem non uideo quid obstet. omnis haec regio felix pecori ut ait Claudianus [4] et opulentis urbibus clara crebris terrae motibus uexabatur [5]. quorum notissimus is est quo tres urbes Eusebius refert concidisse Laodiceam et Hierapolim et Colossas [6]. quarum unam tantummodo Tacitus nominat Laodiceam, quam propriis ait opibus reualuisse [7]. scilicet illa aetate Colossae antiquior ciuitas iam erat obscurata, quam quidem Strabo [8] inter πολίσματα numerat, Plinius [9] autem quod inter celeberrimas urbes recenset, id non tam eo factum putabimus quod Colossensium quoque res breui refectae sint quam quod oscitanter ille prioris alicuius auctoris uerba exscripserit. christianorum sectam Colossenses pridem secutos esse testis est epistula quae Pauli nomine ad eos missa fertur. episcopos eorum post Epaphran et Philemona, quorum nomina ex epistula ad Colossenses data [10] et e constitutionibus apostolorum [11] collegit, Le Quien in Oriente christiano [12] nominat Epiphanium, cuius absentis Nunechius Laodicenus metropolita nomen subscripsit actis concilii Chalcedonensis anni CCCCLI [13], et Cosman, qui ipse subscripsit in concilio quinisexto Trullano anni DCLXXXXII [14]. proximus autem qui memoratur Dositheus, qui concilio interfuit Nicaeno alteri anni DCCLXXXVII, is non Colossensem simpliciter se dixit, sed ita primo scripsit: Δοσίθεος ἐπίσκοπος Ψονοοῦντος [15]

[1] Strabo 12, 16 p. 578; Plin. *N. H.* 5, 29 (29), 105; Cinnamus 1, 2 p. 5, 16 Bonn. — [2] 12, 16 p. 578. Hunc quoque sub terram descendentem recognouisse sibi uidetur A. H. Smith, *Journal of Hellenic Studies* VIII (1887) p. 225. — [3] Arundell, *A Visit to the seven churches of Asia*, p. 92; 93; 94; 101; Hamilton, *Researches in Asia Minor*, t. I p. 506; 507; 508; 509; 513; 514; Tchihatcheff, *Asie Mineure*, t. I p. 252; 253; W. M. Ramsay, *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 346 s.; al. — [4] *In Eutrop.* 2, 272. — [5] Strabo 12, 17 p. 578 σχεδὸν δέ τι καὶ πᾶσα εὔσειστός ἐστιν ἡ περὶ Μαίανδρον χώρα κτλ. — [6] Euseb. *chron.* ad a. Abrah. 2079 (id est 62 p. Ch. n.) t. II p. 154 Schoene. — [7] *Ann.* 14, 27. — [8] 12, 13 p. 576. — [9] *N. H.* 5, 32 (41), 145. — [10] 1, 7; 4, 12. — [11] 7, 46 (t. I p. 1056 A Migne) Κολοσσαέων δὲ (ἐπίσκοπός ἐστι) Φιλήμων. — [12] Paris. 1740, t. I p. 813-816. — [13] Labbe et Cossart, *Concil.* t. IV p. 603 C Νουνέχιος ἐπίσκοπος Λαοδικείας τῆς μητροπόλεως ὁρίσας ὑπέγραψα καὶ ὑπὲρ τῶν ἀπόντων ὑπ' ἐμὲ ἐπισκόπων... Ἐπιφανίου πόλεως Κολάσσων. — [14] T. VI p. 1199 C Κοσμᾶς ἐπίσκοπος πόλεως Κολασσαῆς Πακατιανῆς ὁρίσας ὑπέγραψα. — [15] Sic ediderunt Labbe et Cossart, sed nescio equidem quid sibi uelit hoc monstrum, nisi forte Ψονοοῦντος ex eo quod est Χωνῶν ἤτοι (χονονητοι) factum aliquis suspicetur.

ἤτοι Κολασσαέων ὁμοίως (ὑπέγραψα) [1], dein sic: Δοσίθεος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Χωνῶν ὁμοίως [2]. et inde ab hoc tempore Colossenses iam nullos cognouimus, Chonenses complures, uelut Samuelem anno DCCCLXVIIII a Photio archiepiscopum factum [3] et Manuelis Comneni tempore Nicetam qui eunuchus fuit et uates [4]. eius rei causam suppeditant Constantinus Porphyrogennetus [5] et Oecumenius Triccae episcopus [6] et Theophylactus Bulgariae episcopus [7], qui easdem esse Colossas atque Chonas aiunt. id quod confirmant notitiae episcopatuum [8] et homo ipsis Chonis oriundus Nicetas [9]. Chonae sub Leone Isaurico imperatore inter episcopales sedes locum obtinebant LIII, Hierapolis XLI, Laodicea XXII [10], ab Andronico autem Palaeologo ad locum LXV illae detrusae sunt [11]. Colossae in notitiis praeter eum quem attuli locum non nominantur, neque dubitari potest quin quae olim Colossae fuerunt post fuerint Chonae.

Sed cum his testimoniis pugnare uidentur quae de illis locis rettulit qui ea inuiserat Guilelmus I. Hamilto [12]. is non ibi Colossas sitas fuisse putat ubi nunc est uicus Khonas nomine, id quod ante eum plerique tamquam indubitatum posuerant, sed duo aut tria milia passuum ab eo afuisse in ipsa Lyci ripa positas, ubi theatrum inuenit et urbis amplae reliquias, trans flumen autem sepulcretum magnum. has esse Colossas etiam eo effici putat quod prope illum locum ea sit Lyci natura ut potuerit olim tectus et occultus fluere. desidere enim ex eius aqua et in ripis adhaerescere quasdam tofi crustas quae

[1] T. VII p. 337 B. — [2] T. VII p. 572 D; eiusdem nomen nescio quo errore uariatum esse uidetur p. 45 A Θεοδοσίου ἐπισκόπου Χωνῶν. — [3] T. VIII p. 1204 A in uita Ignatii ἀποστέλλει τοίνυν (εἰς Ῥώμην Φώτιος) Θεόφιλον ἐπίσκοπον τοῦ Ἀμορίου καὶ Σαμουὴλ ἐπίσκοπον ἄχρις ἐκείνου τῶν Χωνῶν ὑπὸ Λαοδίκειαν τυγχάνοντα, ἀρχιεπίσκοπον τετιμηκώς. — [4] Nicet. Chon. *de Manuele Comn.* 7, 7 p. 284, 11 Bonn. ἦν τις εὐνοῦχος ἀρχιερατικῶς προεδρεύων τῆς τῶν Χωνῶν πόλεως Νικήτας τοὔνομα... τοῦ βασιλέως τούτου ἐξ Ἀρμενίας παριόντος τὰς Χώνας... καὶ τὸν ἀρχαγγελικὸν νεὼν εἰσελθόντος καὶ χειρὶ τοῦ ἀρχιερέως τούτου εὐλογηθέντος... — [5] *De thematibus* l. I p. 8 (t. III p. 24, 8 Bonn.) ἑνδεκάτη Ἱεράπολις, δωδεκάτη Κολόσσαι αἱ νῦν λεγόμεναι Χῶναι οὗ ἔστι ναὸς διαβόητος τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαήλ. — [6] *In ep. ad Col.* 1, 1 t. CXIX p. 13 A Migne τοῖς ἐν Κολοσσαῖς. πόλις Φρυγίας αὕτη ἡ λεγομένη νῦν Χώνα. — [7] *In ep. ad Col.* 1, 2 t. CXXIV p. 1208 A Migne Φρυγίας αἱ Κολοσσαὶ αἱ νῦν λεγόμεναι Χῶναι καὶ δῆλον ἐκ τοῦ τὴν Λαοδίκειαν εἶναι πλησίον. — [8] Ὅσαι τῶν πόλεων μετωνομάσθησαν ἐς ὕστερον (leguntur haec post Andronici Palaeologi ἔκθεσιν) ex ed. Goari ad calcem Codini descr. Migne *Patrol. gr.* t. CVII p. 397 A Κολασσαὶ αἱ Χῶναι. — [9] *De Manuele Comn.* l. VI p. 115 (p. 230, 20 Bonn.) ἀφικνεῖται ἐς Χώνας πόλιν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην πάλαι τὰς Κολασσὰς τὴν ἐμοῦ τοῦ συγγραφέως πατρίδα; cf. 16 (p. 842, 10 Bonn.). — [10] *Graecorum episcopatuum notitiae a Leone Sap. ad Andronicum Palaeol.* ex ed. Goari descr. Migne *Patrol. gr.* t. CVII p. 369 C νγʹ αἱ Χῶναι; cf. t. CXIX p. 819 D. — [11] T. CVII p. 392 B ζδʹ ὁ Χωνῶν· καὶ αὐταὶ νγʹ οὖσαι εἰς ξεʹ κατήχθησαν. — [12] *Researches in Asia Minor*, t. I p. 509 ss.

si diu utrimque creuerint potuerint supra flumen, cuius perangustus ibi et depressus alueus sit [1], coniungi et tam latum ac tam crassum quasi pontem efficere ut sub terra fluuius currere uisus sit. non minus facile autem potuisse ingentem illam crustam terrae motu confringi et fluminis ui auferri [2]. eiusmodi pontem ipsum se frustra quaesiuisse et accolas negare nunc ullum esse ingenue fatetur, nisi quod unus quidam fluuium illum olim tectum fuisse memoriae proditum confirmauerit [3]. denique Hamilto adicit Ioannis Scylitzae Curopalatae testimonio [4] constare plures fluuios prope Colossas, quas ille Chonas appellat, coniunctos sub terram descendisse [5], in eo autem de quo diximus loco a meridie Bounar Bashi, a septemtrionibus Ak Su torrentes in Tchoruk Su fluuium influere [6].

Probauit haec praeter ceteros uiro docto qui nuper per eadem loca iter fecit A. H. Smith [7]. non probauit ei cuius hic comes fuit, W. M. Ramsay [8], qui omnia illa in Lyco fieri potuisse negat, Herodoti uerba sic interpretatur ut de Lyci fonte e terra prodeunte dicta sint, dein, cum uideat uerba haec Κολοσσὰς πόλιν ἐν τῇ Λύκος ποταμὸς ἐς χάσμα γῆς ἐμβάλλων ἀφανίζεται non posse ab homine sano ad fontem referri, monet Herodotum non fuisse αὐτόπτην, reliquos testes silentio obruit. nos de Tchoruk Su flumine αὐτόπτας illos inter se disceptare iubebimus, de Lyco non facile adducemur hominem Halicarnassensem, Colossensium paene finitimum, et post eum ueteres omnes rem per se minime incredibilem falso credidisse.

Chonae cum eaedem sint atque Colossae, Chonas quoque si Hamiltoni fides erit — et fecit fidem Henrico Kiepert summo iudici [9] atque omnibus deinceps qui de ea re scripserunt [10], etiam qui ipsi loca uiderant [11] — nonne credamus necesse erit non ibi fuisse ubi nunc est Khonas oppidulum, sed ad Lyci ripam eo quo ille Colossas fuisse demonstrauit loco, postmodo autem cum ipsa ciuitate nomen Chonarum ad eum locum translatum esse qui hodie eo nomine nuncupatur?

[1] P. 510. — [2] P. 511. — [3] P. 522. — [4] *Patrol. gr.* ed. Migne t. CXXII p. 416 B τὰς τοῦ χάσματος σήραγγας ἐν ᾧπερ οἱ παραρρέοντες ποταμοὶ ἐκεῖσε χωνευόμενοι διὰ τῆς τοῦ ἀρχιστρατήγου παλαιᾶς ἐπιδημίας καὶ θεοσημίας ὡς διὰ πρανοῦς ἀστατοῦν τὸ ῥεῦμα καὶ λίαν εὐδρομοῦν ἔχουσι. — [5] *Researches*, t. I p. 512. — [6] P. 510 et 513. — [7] Cf. *Journal of Hellenic Studies* VIII (1887) p. 225. — [8] Cf. *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 358 s. — [9] *Memoir ueber die Construction der Karte von Kleinasien*, Berlin 1854, p. 79. — [10] Rawlinsono ad Herodot. 7, 30 t. IV p. 31 ss.; Forbigero, *Alte Geogr.* t. II p. 342 et 347, qui tamen quae ille discreuerat rursus confudit; Lollingio, ut uidetur, *Geogr.* § 115, ap. I. Mueller, *Handb. d. kl. Alterthumsw.* t. III p. 271. — [11] Velut H. Eggerto, Gustaui Hirschfeldi socio, cf. tabula huius relationi inserta, *Monatsberichte der k. Akad. d. W. in Berlin*, 1879, p. 299, et W. M. Ramsayo, cf. *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 358.

ipse quidem ita existimasse Hamilto uidetur, neque enim aliter ei quod modo attulimus eius argumento quo Colossas ad Lycum positas fuisse ex Ioannis Scylitzae uerbis effici uoluit, quoniam is Chonas, non Colossas dicit, ulla uis inesset. etiam qui nuperrime de his locis scripsit W. M. Ramsay nescio an idem senserit cum celebratissimi templi Michaelis archangeli quod eorum scriptorum qui eius mentionem fecerunt nemo non Chonis fuisse confirmat [1] reliquias quasdam eo loco indagasse sibi uisus sit in quo Colossas positas fuisse tamquam rem compertam et exploratam ipse adfirmat [2]. at mihi quidem hac de re non placet manus dare ἀμαχεί. multo enim probabilius uidetur ciuitatem eius loci in quem domicilia sua transtulerit nomen accepisse quam in eodem loco remanentem nomen mutasse, dein mutatum alio secum transtulisse. sed nescio an praesto sit quo repugnantiam non tam conuicta altera parte tollamus quam esse quodammodo negemus; id quod etiam Haaseo uideo occurrisse [3]. nempe interuallum illud duorum uel trium milium non est tantum ut non potuerit magnae urbis si non moenibus at agri terminis includi. quid si fuerunt Chonae antiquitus quasi quidam uicus suburbanus Colossarum in quem cum urbs ipsa nouo terrae motu aut alia aliqua calamitate uelut crebris Arabum incursionibus aut excidio, ut nuper W. M. Ramsay probabiliter coniecit [4], adflicta esset, incolas eius migrauisse putemus? [5] quamquam hic quidem non item atque ille uicum urbi paene continentem fuisse, sed collem natura munitum et a uia qua exercitus itinera fecerint remotum propter id ipsum ab urbis incolis petitum esse putat. sed migrationem sensim fieri potuisse ne ipse quidem infitiatur. quod si ita res se habuit, episcopos etiam Chonis sedentes primo Colossenses appellari uoluisse, dein coniunctis nominibus Χωνῶν ἤτοι Κολασσέων usos esse, id quod in binarum urbium, non binis eiusdem urbis nominibus fieri solitum G. Hirschfeld et W. M. Ramsay obseruauerunt [6], postremo Χωνῶν solum ponere con-

[1] Cf. ii quos infra attuli loci. — [2] *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 358. — [3] *Allgem. Encyklopaedie* v. Ersch und Gruber, III t. XXV s. u. *Phrygien*, p. 266. — [4] Cf. *Mittheilungen des deutschen archaeol. Institutes in Athen*, VII (1882) p. 137, et *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 359. — [5] Cf. Hamilto ipse, *Researches*, t. I p. 508 : Chonae, a town which grew into importance on the destruction of Colossae, situated in its immediate vicinity, atque ante eum Bollandianus, qui *AA. SS.* sept. t. VIII p. 39 F § 191 haec ait: nisi uelit (Le Quien) Colossas fuisse destructas et Chonas in eius uicinia natas ad templum S. Michaelis. — [6] Cf. W. M. Ramsay, *Journal of Hellenic Studies*, VIII (1887) p. 462 (Hirschfeldi librum non uidi); idem, *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 359 (35) : In all cases which I have observed this phrase (e. g. Ἀπόλλωνος Ἱεροῦ ἤτοι Ἀετοῦ, Στρατονικείας ἤτοι Καλάνδου) has the same meaning; the two names denote not the same but different cities; the centre of population has changed, or is changing, to a new site.

sueuisse quis mirabitur? etiam circum Turcorum oppidum maioris quondam urbis uestigia Fr. V. I. Arundell sibi uisus est obseruauisse [1]. itaque Chonas eo loco iam pridem sitas fuisse qui ad hunc diem earum nomen retinuit, atque eo cum inmigrassent Colossenses et sua omnia contulissent, unam et eandem urbem Chonas et Colossas propterea a quibusdam dictam esse quod altera alteri quodammodo successerit, non sine ueri similitudine sumemus.

Sed redeamus ad Chaeretopa unde oratio deflexit. Ceretapa prisca nominis forma fuit quam solam in nummis inuenit Eckhelius [2], qui duos recenset nummos autonomos δῆμος Κερεταπ... et Κερεταπέων inscriptos [3], imperatorios tres Κερεταπέων et Διοκαισαρέων Κερεταπέων et Ἱεραπολιτῶν Κερεταπέων Ὁμόνοια [4]. Hierocles Κερετάπα inter Colossas et Themisonium nominat [5]. postea cum in primore littera aspiratione uterentur, alteram diphthongo exprimerent, postremo ex illis syllabis quae sunt ταπα graecum uocabulum effecissent, hae deinceps formae exstiterunt: Χαιρέταπα, Χαιρέτοπα [6], et quod legitur in notitiis Χαιρότοπα [7]; ad quas accedit e codicibus QA argutulum illud Χαῖρε τόπε [8]. Ceretapa uel Diocaesarea urbs fuit Phrygiae Pacatianae quam non longe a Laodicea metropoli sua nec a Colossis, post quas Hierocles eam nominat [9], sitam fuisse consentaneum est. de loco ipso uariae fuerunt uirorum doctorum coniecturae. de Tchardak uico cum olim cogitauisset Henricus Kiepert [10], W. M. Ramsay Sari Kauak Ceretapa esse uoluit [11]; idem nuper compluribus et idoneis de causis Kayadibi maluit [12] atque eam sententiam Kieperto probauit [13]. sed ubiubi fuerunt Chaeretopa, neque eadem ciuitas ac Chonae neque eius ulla pars fuit, quippe et nummos suos habuit [14] et episcopos eius nouimus octo ab Theodulo qui Iouiani aetate fuit [15] ad Symeonem qui adfuisse dicitur in pseudosynodo Photiana anni DCCCLXXVIIII [16]. quorum cum tres

[1] A *Visit to the seven churches of Asia*, p. 97. — [2] *Doctr. num.* part. I uol. III p. 143. — [3] P. 143. — [4] P. 143; 149; 157. — [5] *Synecdemi* c. 22 (legitur post Constant. Porphyr. t. III p. 394, 11 Bonn.) ἐπαρχία Φρυγίας Πακατιανῆς... Λαοδίκεια Ἱεράπολις Μόσυνα Ἄττουδα Τραπεζούπολις Κολασσαί Κερετάπα Θεμισόνιον... — [6] Cf. infra episcoporum nomina. — [7] *Graecorum episcop. notitiae* ed. Goar. ad calcem Codini, descr. Migne *Patrol. gr.* t. CVII p. 377 B in τάξει προκαθεδρίας quarto loco Laodiceae metropolis recensetur ὁ Χαιροτόπων (ἐπίσκοπος). — [8] 2, 17 adnot. — [9] Cf. supra adnot. 5. — [10] *Karte von Kleinasien*, Berlin 1844 : Tschardak (Ceretapa ?) — [11] *Journal of Hellenic Studies* IV (1883) p. 403. — [12] *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 360 s. — [13] Cf. *Wandkarte von Altkleinasien*, Berlin 1888. — [14] Cf. supra u. 9. — [15] Philostorgi *hist. eccl.* 8, 2 *Patrol. gr.* ed. Migne, t. LXV p. 556 B ὁ ἀπὸ Χαιρατόπων (?) Θεόδουλος; Socratis *hist. eccl.* 2, 40 t. LXVII Migne, p. 344 B Θεόδουλον Χαιρετάπων τῆς Φρυγίας. — [16] Philostorgi *h. e.* 9, 18 p. 581 C τελευτήσαντος Θεοδούλου τοῦ ἀπὸ Χαιρετάπων... οἱ ἀμφὶ τὸν Εὐνόμιον Καρτέριον 〈ἀντ' ?〉 αὐτοῦ χειροτονοῦσι. τοῦ δὲ θᾶττον τελειωθέντος Ἰωάννην ἀντικαθιστῶσι; Labbe et Cossart, *Concil.* t. III p. 471

memorentur Colossensium uel Chonensium aequales, Siluanus Epiphanii, Andreas Cosmae, Dosithei Michael, non possumus fingere Colossas Chonasue et Chaeretopa duplex aut triplex eiusdem sedis nomen fuisse.

Itaque oportet aut Chaeretopis aut eo loco rem factam putare quo Colossas Hamilto positas fuisse sibi aliisque persuasit aut denique eo quo Khonas uicus hodie situs est. ac fuit cum sic sentirem, scriptorem uoluisse Chaeretopensem haberi fontem, Chaeretopense oratorium, item reliqua. Chaeretopa ad imum Cadmum montem a meridie ponebam, fluuios e Cadmo ab oriente ad occidentem defluentes, quales depinguntur in tabulis prope Kaiahissar oppidum, ante oratorium coniunctos ad dextram spectantium, hoc est ad meridiem, se conuertere et in eum amnem influere faciebam qui in Cariae Lyciaeque confinio in mare Aegaeum influit ab aliis Axon, Indus ab aliis nominatus. quibuscum optime conuenire uidebam uerba illa 7, 15 οὗτοι (ὁ Λυκόκαπρος καὶ ὁ Κοῦφος) ἀνακάμπτοντες εἰς τὰ δεξιὰ περιεπάτουν εἰς τὰ μέρη Λυκίας, quae cum et anonymi et Metaphrastae codicibus praeter C omnibus exhibeantur inepta sunt si fluuii illi e Cadmo ad septemtriones in Lycum aut in Maeandrum influunt. librum postea putabam ita ut traditur inscriptum esse; id fieri potuisse aut ab homine Chonensi qui ciuitatem suam noua laude ornare uellet aut ab aliquo librario qui cum celeberrimum templum Chonense cognosset, ignoraret Chaeretopense oratorium paruum et ignobile, illud tam insignis miraculi monumentum esse bona fide arbitraretur.

Hac tamen de sententia ut decederem aliae rationes effecerunt. primo enim Chaeretopa quamquam non certo scimus ubi sita fuerint, si quid tamen diuinare licet, ibi ponemus ubi supra demonstrauimus Ramsayum et Kiepertum nunc ea collocare. ibi autem etsi adest una res quae uel optime cum narratione nostra quadret, saxum arduum et praeruptum oppido a septemtrionibusim minens[1] — πέτραν ille dicit στερεάν 12, 5 — at fluuii circum eum locum nulli sunt[2] neque trium milium interuallo montes eiusmodi qualem prope Chonas habemus

B Σιλουανὸς ἐπίσκοπος Κερατάπων Φρυγίας Πακατιανῆς εἶπεν; p. 546 A Σιλουανὸς ἐπίσκοπος Κερατάπων (in marg. Χαιρετάπων) ὑπέγραψα; cf. p. 283 C; 691 C; t. IV p. 603 C Νουνέχιος...ὑπέγραψα καὶ ὑπὲρ... Φιλητοῦ πόλεως Χαιρετάπων, Ἐπιφανίου πόλεως Κολάσσων (cf. supra); t. VI p. 1199 B Ἀνδρέας ἐπίσκοπος Αερυγαπῶν Πακατιανῆς ὁρίσας ὑπέγραψα, ubi Le Quien Χαιρετάπων scribendum esse uidit; t. VII p. 45 A Μιχαὴλ ἐπισκόπου Χαιρετόπων (statim post Θεοδοσίου ἐπισκόπου Χώνων); cf. 337 A Μιχαὴλ ἐπίσκοπος Χαιρετόπων ὁμοίως (ὑπέγραψα); *Acta conciliorum*, Paris. 1714, t. VI pars I p. 217 B Συμεὼν Χαιρετοπῶν (in marg. adnot. : pro Καιρετάπων). — [1] Cf. Ramsay, *American Journal of Archaeology* III (1887) p. 361. — [2] Cf. tabula adiecta Ramsayi libello de Phrygiae antiquitatibus, *American Journal of Archaeology* IV (1888) et Henrici Kieperti *Wandkarte von Altkleinasien*, Berlin 1888.

Cadmum, quem illi πέτρᾳ siue λίθῳ opponere potuit his uerbis 12, 10: τοῦ ὄρους τοῦ μεγάλου. deinde etsi inscriptio libri falsa est, aliqua tamen causa est cur scriptorem arbitremur Chonis miraculum patratum existimasse. uix enim dubitari potest quin Chonarum ei nomen obuersatum sit cum Michaelem haec imperasse fluuiis narraret 19, 5: ἀκοντίσθητε ὑμεῖς ἐν τῇ χώνῃ ταύτῃ καὶ ἔστε χωνευόμενοι ἐν τῷ χάσματι τούτῳ... ἕως τῆς συντελείας. unde etiam illud si quis collegerit, in extrema parte quae periit adiectum fuisse id quod nunc in Menologio Basiliano legimus [1] καὶ ἐκλήθη ὁ τόπος ἔκτοτε Χῶναι, equidem non habeo cur obloquar. denique tam constans est per multa saecula memoria miraculi Chonis patrati, tam celebrata templi Chonensis fama, ut multo uideatur uero similius de hoc pridem librum esse conscriptum quam de oratoriolo ceteroqui prorsus ignoto. templum quidem Chonense Michaelis archangeli celeberrimum memorant Constantinus Porphyrogennetus [2]: Χῶναι οὗ ἔστι ναὸς διαβόητος τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαήλ, et Nicetas Choniata [3]: τὸν ἀρχαγγελικὸν ναὸν εἰσιών μεγέθει μέγιστον καὶ κάλλει κάλλιστον ὄντα καὶ θαυμασίας χειρὸς ἔργον, et Ioannes Scylitza [4] τοὺς Τούρκους τὴν ἐν Χώναις πολιτείαν καὶ αὐτὸν τὸν περιβόητον ἐν θαύμασι καὶ ἀναθήμασι τοῦ ἀρχιστρατήγου ναὸν καταλαβεῖν ἐν μαχαίρᾳ... ἱππῶνα τὸν πάνσεπτον ἐργασαμένους ναόν, Zonaras denique qui Ioannis uerba describit [5]. atque eodem loco miraculum factum esse Ioannis Scylitzae uerba modo adlata significant περιβόητον ἐν θαύμασι et quae paulo post sequuntur τὰς τοῦ χάσματος σήραγγας ἐν ᾧπερ οἱ παραρρέοντες ποταμοὶ ἐκεῖσε χωνευόμενοι διὰ τῆς τοῦ ἀρχιστρατήγου παλαιᾶς ἐπιδημίας καὶ θεοσημίας ὡς διὰ πρανοῦς ἀστατοῦν τὸ ῥεῦμα καί λίαν εὐδρομοῦν ἔχουσι. idem constat Metaphrastae et Sisinni testimoniis [6] ac menologiis Graecorum. denique Manuel Comnenus [7] diem sextum septembris inter eos recenset quos partim feriatos esse uoluit ὅτι ἐν αὐτῇ τὸ ἐν Χώναις τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ θαῦμα τετερατούργηται [8]. hi omnes Chaeretopa prorsus ignorant.

Quo pacto autem id nomen in librum anonymi inlatum sit non ita difficile est indagare. equidem non dubito quin ex actis apostolorum apocryphis transcriptum sit. id uero uix fieri potuit nisi ab eo scriptore qui longe ab illis locis, uelut Constantinopoli, habitaret, templum autem Chonense peregrinando tantum uidisset nec cetera loca circum

[1] Cf. supra p. XVII. — [2] *De themat.* l. I p. 8 (t. III p. 24, 8 Bonn.). — [3] *De Man. Comn.* l. VI p. 115 (p. 230, 22 Bonn.). — [4] *Excerpta ex breuiario historico* Io. Sc. p. 834, *Patrol. gr.* ed. Migne, t. CXXII p. 416 C. — [5] 18, 12 t. II p. 281 (t. IV p. 211, 3 Dindorf) φήμη τις γενομένη ὡς ἡ ἐν Χώναις πολιτεία καὶ τὸ ἐκεῖ τοῦ ἀρχιστρατήγου περίπυστον τέμενος τοῖς βαρβάροις παρείληπται. — [6] Cf. supra p. X ss. — [7] Cf. supra p. XVI ss. — [8] Manuelis Comn. *nouellae constitutiones*, *Patrol. gr.* ed. Migne, t. CXXXIII p. 757 D *de diebus feriatis* β' αἵ γε μὴν τὸ δικαστήριον ἀπὸ μέρους σχολάζουσαι... ἡ ς' τοῦ σεπτεμβρίου μηνός, ὅτι ἐν αὐτῇ κτλ.

illud sita inuisere curasset. eiusdem autem ignorantiae est mirum illud de Lycia peccatum. quod uereor ut possit ita corrigendo tolli ut Λυδίας pro Λυκίας scribatur. nam etiamsi fluuii illi Lydiam uersus fluerent, non hoc dicendum erat, sed in Maeandrum aut in Lycum eos influere. Maeandri enim cursus ab Lydia eos arcebat. nec potuit quisquam dicere locorum mediocriter peritus fluuios a Cadmo monte defluentes, dein dextrorsum se conuertentes, ἀνακάμπτοντας εἰς τὰ δεξιά (10,9), Lydiam uersus fluere. sinistrorsum enim flectere se oportebat.

Iam igitur hoc uidendum est, oratorium Michaelis et templum Chonense in eius loco aedificatum utrum fuerit in ipsa Lyci ripa positum, ubi Hamilto Colossas fuisse dicit, an paulo altius, ubi Khonas uicus nunc situs est. illud ut probemus una certe causa est peridonea cursus ille Lyci prope Colossas subterraneus. qua permotus Haase [1] magni cuiusdam aedificii rudera quae ad Lyci ripam posita erant templi Michaelis reliquias esse suspicatus est. atque idem Ramsayo, quamquam is de Lyco dissentit, probabile uideri supra [2] demonstrauimus. at obstat quod, cum oratorium Michaelis septuaginta ulnarum interuallo ab rupe inmensa afuisse dicatur, illae parietinae quas Hamilto [3] uidit in media planitie positae erant. deinde tres fluuii ibi coniuncti, Lycus seu Tchoruk-Su cum duobus aliis, Ak Su et Bounar Bashi, ad eum locum perueniunt ubi Lycus sub terram descendisse dicitur, duos tantum, Cuphum et Lycocaprum, scriptor anonymus memorat, nec Lycum nobilem fluuium hic, si modo Colossas umquam uiderat, ignorare et alio nomine significare potuit. praeterea uereor ne nimium fiat inter oratorium ad Lycum positum et montes in quibus fluuii oriebantur interuallum per quod fossam duxisse pagani dicuntur [4]. denique nomen Chonarum, id quod iam supra rogauimus, cur putemus primo esse Colossis inpositum, postea ad eum locum translatum qui nunc Khonas appellatur, ac non potius eodem loco semper nomen haesisse, homines Colossenses aliquando locum mutasse?

Restat ut eum locum qui nunc Khonas dicitur consideremus. quem sic describit Fr. V. I. Arundell [5]: Khonas inquit peruenimus uicum amoenissimum sub inmenso montis Cadmi iugo situm, qui post uicum eminet altissimus et praeruptus, quibusdam locis pinu consitus, alibi humo nudus, inmensis hiatibus et specubus interscissus. adiacet ad Khonas a parte postica hiatus quidam montis angustissimus et praeruptus, exitum praebens magno torrenti qui e monte defluit, cuius alueus tunc paene siccus erat. in summo autem saxo, quae est

[1] *Allgem. Encyklopaedie* von Ersch und Gruber, III t. XXV s. u. *Phrygien* p. 266. — [2] Cf. p. XXXII. — [3] Hamilton, *Researches*, I p. 511 ; cf. supra p. XXXI. — [4] 8, 21. — [5] *A Visit to the seven churches of Asia*, p. 94.

laeua eius hiatus ripa, antiqui castelli reliquiae stant. et paulo post [1]: ascendimus inquit saxum in quo castellum positum est, fastigio paene insuperabili, altitudine ingenti [2]. quid quaeso hac descriptione similius ei quam ex anonymi libro collegimus 10, 5: ἕτεροι δύο ποταμοὶ κατήρχοντο ἀπὸ ἀνατολῆς ἐγγίζοντες τὸν ἅγιον τόπον ὡς ἀπὸ μιλίων τριῶν... οὗτοι ἐσμίγοντο εἰς κεφαλὴν τοῦ ὄρους τοῦ μεγάλου· 12, 5 ἔγγιστα δὲ τοῦ θυσιαστηρίου ἔστιν πέτρα στερεὰ ἔχουσα πλάτος καὶ μῆκος πολύ, τὸ δὲ βάθος αὐτῆς τέλος οὐκ ἔχει· 18, 1 ἐρράγη ἡ στερεὰ πέτρα ἀπ' ἄκρων ἕως ἄκρων καὶ ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω· 19, 5 ἀκοντίσθητε ὑμεῖς (οἱ ποταμοὶ) ἐν τῇ χώνῃ ταύτῃ καὶ ἔστε χωνευόμενοι ἐν τῷ χάσματι τούτῳ. desunt σήραγγες siue cuniculi illi a Ioanne Scylitza memorati [3]. at potest fieri ut olim adfuerint sicut Colossis in Lyco, crustas enim ex huius quoque loci aqua exsistere iam supra [4] demonstrauimus. praeterea autem idem Arundell docet aquam alti et lati illius torrentis qui post uicum praeterfluat in medio uico sub terram abdi [5], item alium fluuium sex fere milia passuum a Chonis terrae hiatu excipi et trecentorum fere passuum interuallo rursus emergere [6]. unde hoc certe efficere possumus multos esse eius modi in illis locis torrentium quasi cuniculos, nec mirabimur si tum ii exstiterunt tum conciderunt [7]. denique illud ut nimis longae huic tandem finem inponamus disquisitioni tenebimus, nihil obesse quin eo loco qui nunc Khonas appellatur miraculum factum et templum Michaelis aedificatum esse existimemus, immo apte omnia ad hanc sententiam quadrare; sin autem Colossis in Lyci ripa situm fuisse Michaelis templum perseuerare uelimus, scriptorem narrationis eum putandum fore qui nec templum nec oratorium neque adeo Colossas aut Chonas umquam oculis aspexerit aut quae esset locorum natura percontari curauerit.

[1] P. 97. — [2] Viderunt eadem Pococke, *Description*, t. V p. 150; Hamilton, *Researches*, t. I p. 508 The only remains of buildings are the ruins of a castle on a rocky platform above the village, and at the foot of a steep and precipitous range of mountains, from which a small stream, after descending through a deep and narrow gorge to the west of the castle, flows into the plain, and supplies the village with water. — [3] Cf. supra p. xxxv. — [4] P. xxiv; cf. etiam Arundell qui p. 102 circiter duarum horarum itinere a Chonis uidisse se ait a dry channel of a torrent, and below it Pambouk, hoc est Hierapolin, in miniature, that is to say, a similar incrustation of mineral waters, white and glittering. Hamilton, *Researches*, t. I p. 506; 507, similia uidit prope Kaklek uicum. uidelicet totus ille tractus eiusmodi aquis abundat. — [5] Arundell, p. 99. — [6] P. 100. Cf. etiam supra p. xxix, 2. — [7] Cf. Hamilton, *Researches*, t. I p. 511 s.

CAPVT VII.

De temporibvs.

De temporibus pauca sunt quae dicenda habemus. quae utinam certiora saltem essent! post saeculum quartum librum scriptum esse satis declarat totum genus dicendi, praecipue autem ea uerba quae res significant antea inuisitatas et inauditas, ut κιλίκιον, κασουλάριος, talia, atque hae res ipsae, et uita solitaria et ascetica maxime exculta. ante saeculum decimum scriptum esse eo efficitur quod a Sisinnio et a Metaphrasta et nisi fallor etiam ab iis qui menologia composuerunt lectus est et exscriptus. hi quidem fines certi sunt, etsi multo quam cupimus latiores. sed possumus paulo saltem artiores constituere si ea quae de locis disputauimus pro concessis habere licet. nam si nomen Chonarum tum demum loco impositum esset cum episcopi Colossenses Chonenses sese dixerunt, hoc est si idem locus ante Colossae, post Chonae appellatus esset, non ante saeculum octauum posset narratio ea scripta esse quae cur id nomen loco datum sit declarat. nam Hierocles, quem Iustiniani aetate fuisse docet qui librum eius edidit Wesseling [1], Colassas, non Chonas nominat, et usque ad annum DCLXXXXII Colossenses tantum haberi episcopos solitos supra demonstratum est. suo igitur iure Bollandiani, qui nomen tantum Colossarum mutatum putabant [2], in VII aut VIII saeculum narrationem contulerunt. nunc quoniam Colossenses in locum iam antea Chonas dictum migrauisse sumpsimus, nihil obstat quo minus ibi iam antea Michaelis celebrem cultum fuisse credamus. immo eo facilius episcopalem sedem eo transferri potuisse intellegetur. poterit ergo narratio quoque ante scripta esse. et esse ante scriptam hoc signi esse uidetur quod scriptor anonymus meminit parui oratorii eo loco positi ubi post fuit templum maximum et praeclarissimum quod solum norunt et Sisinnius et Symeo Metaphrasta. quin etiam illud nescio an superioris aetatis aliquod documentum sit quod paganos, non haereticos Archippi aduersarios finxit. itaque inter saeculum quintum et septimum si quis narrationem scriptam esse statuet haud longe a uero aberrabit, propius is demum accedet qui illam ante saeculum VII ab aliquo scriptore usurpatam deprehenderit. quod non facile alicui continget. nam uir harum rerum peritissimus Bollandianus qui de Michaelis miraculo scripsit negat se in ullis

[1] Constant. Porph. t. III p. 383 ss. Bonn. — [2] *AA. SS.* sept. t. VIII p. 39 F § 191; cf. etiam P. Batiffol, *Stud. patrist.* t. I p. 33.

monumentis saeculi v aut vi aut vii aut viii ullam inuenisse mentionem apparitionis aut templi Michaelis Chonensis [1]. immo ne Michael quidem Syncellus, quem nono saeculo fuisse aiunt, in ea oratione quam de sanctis angelis et archangelis scriptam reliquit [2] ullam harum rerum mentionem fecit.

[1] P. 40 F § 198. — [2] Edidit Fr. Combefis in *Auctarii noui* t. I p. 1515; de Michaele nominatim agit p. 1568.

CAPVT VIII.

De libris manv scriptis.

Codices manu scriptos adhibui hosce, quos nisi aliorum nomina adscripta sunt a me descriptos aut conlatos esse scias:

P Parisiacum bybliothecae Nationalis gr. 1468 membr. saec. xi f. 172.

Q Parisiacum bybl. Nat. gr. 769 bombyc. saec. xiii f. 97.

C Parisiacum bybl. Nat. inter Coislinianos 105 membr. saec. xii f. 289.

D Parisiacum bybl. Nat. Coislin. 121 membr. anno mcccxxxxiii scriptum f. 18. contulit inde a 7, 20 Eugenius Grauerol iuuenis ornatissimus olim Montipessulanensis.

V Romanum bybliothecae Vaticanae 807 membr. saec. xi f. 73. contulit accuratissime summa cum benignitate R. D. Petrus Batiffol uir doctissimus et humanissimus.

A Romanum bybliothecae Angelicae B 2. 2 membr. saec. xi [1] f. 52. descripsit Hermannus Vsener anno mdccclxxiiii, mihique commodauit ea qua semper in me usus est beneuolentia eximia anno mdccclxxviii. locos quosdam de quibus dubitabam inspexit eius rogatu Alfredus Gercke uir doctissimus.

O Romanum bybliothecae Vaticanae inter Ottobonianos 1 saec. x aut xi f. 41. descripsit diligenter rogatu R. D. Petri Batiffol Cosmus Stornaiolo uir honestissimus.


W Vindobonensem bybliothecae Caesareae theol. 123 (olim 151) saec. xiiii f. 128. contulit diligentissime Rudolfus Beer uir doctissimus et mihi carissimus.

U Vindobonensem bybliothecae Caesareae hist. 61 (olim 38) saec. xiiii f. 1. descripsit idem paginas duas primores, reliquas egregia cum liberalitate et accuratissima diligentia meum in usum contulit Siegfriedus Mekler uir doctissimus et officiosissimus.

Horum librorum nullus est bonus, nullus tam malus ut non aliquid bonae frugis adferat. V et A et maiore ex parte O ex uno libro deriuati sunt Δ, ex altero Γ paulo meliore PWQCU, ita tamen ut WQCU, quorum consensum littera Σ signaui, artius inter se coniuncti

[1] Ita Vsenerus statuit. saeculo X aut XI scriptum existimat T. W. Allen, *Classical Review*, t. III p. 346.

sint. D et extrema in parte O mixti sunt e duobus libris quorum unus fuit generis WUQC, alter eadem stirpe atque VAO ortus. quae ratio quo fieret inlustrior imaginem subieci :



Sed paulo subtilius ea quae proposui persequenda sunt. etenim diu multumque ipse dubitaui neque legentium nisi qui diligenter omnia perpenderint mecum consensuros esse spero.

A pessimo omnium D ut proficiscar, sat scio fore qui quod saepe audiui proferant, minime credibile esse hominem inlitteratum et solius rei sacrae studiosum plures simul codices adhibuisse e quibus ea quae describeret operose contexeret. ego uero dudum didici librarios olim aeque ac nunc criticos alios exstitisse stultos aut segnes, diligentes et acutos alios, quosdam inscitos et infeliciter laboriosos. ad librum D quod attinet, non solum saepe is cum VAO, plerumque cum reliquis libris concinit, sed uno loco, p. 15, 16, utramque recensionem deinceps posuit hoc modo : λεγει αὐτῶ μιχαὴλ ο ἀρχιστράτιγοσ εαν πιστεύεισ ὄσιε ὄτι δύναται ὁ θεὸσ δι'εμοῦ φυλάξει τὸν τόπον τοῦτον δεύρω ἵνα θεάσει τὴν δόξαν αὐτοῦ. τότε ἐξῆλθεν ὁ δοῦλοσ θεοῦ παρρησίασ τυχῶν · καὶ λέγει αὐτῶ ὁ ἀρχιστράτιγοσ. ἐφόσον ἀλλιθῶσ καὶ στερεῶσ ὁμοῦ πεπίστευκασ ὄτι δύναται τὴν γὴν ταύτην διαφυλάξαι διέμοῦ ὁ κύριοσ ἀπὸ τῆσ βλάβησ τοῦ ὕδατοσ, δεύρω ἵνα θεάσει τὴν δύναμιν αὐτοῦ. τότε ἦλθεν ὁ δοῦλοσ τοῦ θεοῦ κτλ. uidelicet rem eis fere uerbis comprehensam quae legimus in libris PΣ excipiunt ea uerba quae tradita sunt libris VAO. homo enim non omnino insulsus, non qui librum D, sed qui eius exemplar Φ scripsit, ἐὰν πιστεύσῃς ánte, ἐφ' ὅσον πεπίστευκας post dictum esse arbitratus, utrumque coniunxit. tamen non est huius libri usus nullus. alterutrorum codicum testimonium passim confirmat, quandoque supplet.

In libro Ξ ea menda in uerba scriptoris inrepserunt quae sunt librorum C et D communia, in Θ praeter ea quae libris UQCD adspersa sunt appendix illa accessit quam significaui supra p. 4, hic apposui e libro Q descriptam : ταῦτα εἰπὼν ὁ ἀρχιστράτηγος ἀνῆλθεν εἰς τὸν οὐρανόν · ὁ δὲ δοῦλος τοῦ θεοῦ ἐδόξαζε καὶ ἐβόα λέγων · δόξα σοι ὁ θεός, ὁ ὕψιστος

σὺν τῷ ἠγαπημένῳ σου πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ πνεύματι, ὁ διὰ τοῦ ἀρχιστρατήγου σου Μιχαὴλ σημεῖα ἐπιτελῶν καὶ θαυμάσια ἐνεργῶν. ἔμεινε δὲ ὁ Ἄρχιππος εἰς τὸ εὐκτήριον τοῦ ἀρχιστρατήγου ἕως τέλους ζωῆς αὐτοῦ. διὸ πάντες οἱ κατατρυφῶντες τῶν φοβερῶν καὶ ἀπείρων θαυμάτων τούτων ἕως τῆς σήμερον δόξαν ἀναπέμψωμεν τῷ φοβερῷ καὶ εὐσπλάγχνῳ θεῷ σὺν τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ πνεύματι κτλ. atque haec fere perspicua sunt et extra controuersiam posita. de codicum P et Σ et Δ ratione non tam promptum iudicium est, immo dubium et implicatum.

Ac primum de P ut recte statuamus, mira est eius libri uelut placidi pellacia ponti. nullum alium noui tam callide interpolatum. plerumque enim talia pro ueris subicit quae sint aptiora aut blandiora aut certe nihilo minus probabilia. uerba de medio sumpta exquisitioribus mutat ut 3, 13 ἐρχόμενοι] παραγενόμενοι; 3, 17 ἠβουλήθη] ἐβουλεύσατο (τοῦ καταστρέψαι); 6,10 πικρότατον] ἐπώδυνον; 7,18 ἐπιθυμίας κακάς] ἐπιθυμίας ἀκρατεῖς; 8, 3 de herba παρέρχομαι] ξηραίνομαι; 11,8 ἔρχονται] συναθροίζονται; 17, 1 ἀκούω] ἐνηχοῦμαι; pro uerbis simplicibus uerba cum substantiuis aut aduerbiis coniuncta ponit ut 2, 9 ἔθυον] θυσίαν προσάγοντες; 3, 12 ἐθεραπεύοντο] τῆς θεραπείας ἀπήλαυον; 10, 15 μὴ χορτασθείς] κόρον οὐ προσδεξάμενος; 11, 1 ἐπιθυμήσας] ὀρεκτῶς ἀντιλαβόμενος; 13, 1 ἀνεπλήμμυναν] πλημμύραι προσεγένοντο. denique quod maxime memorabile est coniunctiones deligit subtilius, uelut pro uolgaribus καί δέ λοιπόν, a quibus scriptor uix umquam discedit, circiter deciens οὖν adhibet, quater τοίνυν. quin etiam bis μήν adicit post οὔτε uel μήτε, et id quidem peropportune 5, 12 (quamquam hoc loco cum etiam Q μὴν exhibeat multo etiam intricatior res est); 12, 1 εἰδωλολάτραι autem quod pro εἰδωλοθύται scribit 9, 9 et 13, 4 (quamquam εἰδωλοθύτης intactum reliquit 3, 15; 11, 4) et alia eiusmodi haud pauca, id nisi peiora accederent suspicionem certe nullam moueret. at sunt quaedam minus speciosa uelut 5, 16 sine necessitate προσδεχόμενος adiectum; 4, 5 iurisiurandi formula ueterum μὰ christiana illa εὐλογητὸν mutata; 17, 9 ἀνδρομήκων δέκα uox rarior explicita sic: ἀνδρῶν δέκα τὸ μῆκος; 12, 4 nimis ambitiose coniunctiuus ille ὁ τόπος ἐξολοθρευθῇ, siue ἐξολοθρευθείη ex VA adsciscendus erat optatiuus, ita dilatatus: ἐξολοθρευθῆναι τὸν τόπον ἐκεῖνον τὸν σπουδαῖον ὅτι μάλιστα θέμεθα (leg. θείμεθα?); 10, 10 ὁ ἐξαρχῆς διάβολος non intellectum (adiectiuum enim quod est ὁ διάβολος, calumniator, pro substantiuo accepit quod est ὁ διάβολος, diabolus uel angelus malus) et ita correctum: ὁ ἐξ ἀρχῆς τῶν κακῶν ἐφευρετὴς διάβολος. id ipsum autem callide effecit, epitheton enim aptissimum ex epistula Pauli ad Romanos 1,30 adsciuit neque oblitus est paulo post αὐτὰ pro eo quod erat πονηρά scribere. denique sunt inscite interpolata quaedam uelut 2, 10 ἐπέτρεπεν τὰ ἑρπετὰ ἐπάνω τοῦ ἁγίου ἐπιδραμεῖν τοῦ ἀποκτεῖναι αὐτόν] ἐπέτρεπεν τοῖς Ἕλλησιν τοῦτον ἀποκτεῖναι. sed non minus quam hae et aliae lectiones suspectae ipsa codicis P cum Σ cognatio obstat quo minus eum solum

reliquis omnibus opponamus et spreto illorum testimonio hunc sequamur [1].

Inter eos codices quos Σ littera signaui eminet W, qui cum careat appendice codicum QCU atque ab his haud raro ita discrepet ut cum P faciat debet cum Θ codicum QCU parente potius comparari quam cum QCU ipsis. neque tamen dissimulare possum etiam Q aut C aut U aliquando cum P solo iis locis concinere in quibus uix credibile sit binos homines in eundem errorem aut in eandem coniecturam incidisse; uelut 3, 9 ἐβάκχευον P Q; 4, 15 ἰσχυρὸς PQ; 5, 10 οὕτως PU; 5,12 μήτε μὴν PQ; 8, 11 ἡ μία θεότης καὶ ἀΐδιος PQ; 11, 1 τοῖς ἐθελοῦσι P (C); 13, 9 δυσωπῶν PC; 15, 17 θεάσαι PCU. ubi sane procliue fuit PQ aut PC aut PU sequi, et identidem in eo fuit ut eos audirem, et fortasse quaedam recipere oportuit. sed obstabat quod uix credibilius erat ἔβρυχον, ὁ θεός, δοξάζων a pluribus inuenta esse, ac praeterea ἔβρυχον firmatur loco simili 5, 3; δοξάζων ad sententiam accommodatius est; item reliqua fere. itaque aut illud quamuis incredibile credere oportet binos homines eadem illa inuenisse aut hoc uix credibilius ex ipso P aut eius gemello quibusdam locis W aut Q aut C aut U correctos esse siue interpolatos. erunt fortasse qui me inconstantiae insimulent quod spreto illis locis PQ uel PC consensu 6, 2 PD concinentibus fidem habuerim. qui uelim hoc tamen considerent, quam procliue fuerit illud ἐξήνεγκεν mutare, dein quam promptum ac paene necessarium ἐξεδύετο ponere.

Restat ut de Δ et VAO paucis absoluam. Δ manifesto corruptus erat 12, 1, ubi omisso illo ἐπεὶ ne κἂν quidem et quae sequuntur satis intelleguntur. interpolatum fuisse maxime manifestum est 15, 13, ubi cum nollet Michaelem cum ipso deo pari honoris gradu coniungi uerba illa μεγάλη ἐστὶν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου ita correxerat: μεγάλη ἐστὶν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ ἐνυπάρχουσα ἐν τῷ ἀρχαγγέλῳ Μιχαήλ, sed etiam aliis locis haud paucis apparet uelut 7, 8, τις] τῆς; 8, 6 ταῦτα] ταῦτα δέ; 10, 8 ἐσμίγοντο] ἐμίγνυντο; 11, 10 ἀδικίας] Λαοδικείας; 12, 5 ἐστὶν] ὑπάρχει; 15, 5 εἰμί] ὑπάρχω; 15, 16 ἐὰν πιστεύσῃς] ἐφ' ὅσον πεπίστευκας (propter 15, 12 ἐγὼ πιστεύω). sed etiam V et A separatim corrupti et interpolati sunt, uelut 2, 17 ἐκαθέσθησαν] ἐκαθέσθη ὁ Ἰωάννης V; 16, 3 τὸ μέγεθος τῆς δόξης αὐτοῦ ἔβλεπεν, στύλον πυρός] τὸ μέγεθος τῆς δόξης αὐτοῦ οὐκ ἔβλεπεν, στύλον δὲ πυρός V; 1, 6 παρρησίας] παρουσίας A; 3, 5 θαύματα] μυστήρια A; 3, 15 ἀσεβής] ἀσεβέστατος A; nam quin sit eodem uterque aut patre aut certe auo prognatus nemo dubitabit. O cum A artius coniunctus multo quam aut V aut A corruptior est,

[1] Perfidiam codicis P etiam Hermannus Vsener notauit in *Actis Marinae* p. 6 et ego in Prochoro perspexeram et moniti cauebunt si sapient quicumque eo utentur.

inde a 15, 4 item ac D inter Σ et Δ ambiguus haeret, sed plerumque ad Σ se applicat.

Vbi AO aut cum P aut cum WUQC concinunt eam plerumque esse ueram lectionem apparet. nam non nimis saepe factum est ut utrius que ordinis singuli codices in eandem interpolationem inciderent, ut 6, 2 ἐξήνεγκεν] ἐξεδύετο ΔCU; 7, 14; 10, 7 ἕτερος] ἄλλος Σ A, aut eadem corruptela ut afficerentur. perdifficilis autem disceptatio est inter Γ et Δ iis praesertim locis ubi aut omnes dissentiunt uelut 13, 7 aut consentiunt bini aut plures utriusque ordinis codices uelut 13, 19 καὶ PQC, τότε WΔ. quater totum librum pertractaui et permultos locos aliter atque aliter constitui cum primo P primarium ducem sequendum putassem, dein A (V nondum cognoram), tum inter Γ et Δ aequam fere lancem tenendam esse mihi persuasissem, ita tamen ut si prorsus nulla causa esset ad alterutrum inclinandi Γ ut minus interpolatum anteponerem, postremo ipsius Γ scripturam integriorem quam Δ sed indiligentius propagatam esse cognossem. quaeret aliquis fueritne operae pretium in libro nec rebus nec uerbis praestantissimo tam multos codices excutere et tam diligenter singula uerba exquirere. fateor potuisse rem intactam relinqui, quamquam eis quae supra disputaui effecisse mihi uideor esse aliquam libri utilitatem. postquam autem eius edendi munus suscepi, debui eo maiore cum cura et studio eo perfungi quod eiusmodi libri quoniam semel eduntur secundis curis carere solent. si Sophoclis fabulam aut Sapphus aliquod carmen inuenissem, sescentiens ea intra paucos annos repeterentur, emendarentur quaecumque ego neglexissem. haec narratio qualem ego dedero talem legent quicumque umquam eam cognoscere uolent. praeterea hunc librum quasi quoddam specimen esse uolui aliorum similium sed minus breuium quos deinceps edam. in quibus cum dilectus sit aeque lubricus uerborum non tam uariis quam diuersis exemplis traditorum, nec possit nisi uoluminibus nimis tumidis tam plena librorum manu scriptorum memoria exhiberi, mihi fides erit habenda. qua quam dignus sim hic ubi adferre documenta locupletia potui suum cuique iudicium erit.

Praeter eos libros quibus ego usus sum hos Romae in bybliotheca Vaticana exstare R. D. Batiffol summa cum humanitate me certiorem fecit: gr. 803 saec. XI f. 22; 866 saec. XI f. 59; 1986 saec. XII f. 86. quos cum ex eis quae Batiffol mecum communicauerat uidissem omnes cum Δ arto cognationis uinculo coniunctos esse, cuius habebam VAO exempla minime contemnenda, totos pertractare supersedi. hoc addo, cum ex codicum hinc Romanorum omnium, illinc Parisiacorum et Vindobonensium consensu meo iure mihi uisus essem efficere Romanos illos omnes iisdem locis oriundos esse unde nostrates nullos emere consuessent, plane id a Batiffolio ex ipsis litterarum

ductibus et ex iis quae de librorum Vaticanorum origine uir harum rerum peritissimus eruit confirmatum esse. nam docuit me in iis Italiae locis quae olim Magna Graecia dicebantur omnes illos libros scriptos esse.

Etiam plures libros in bybliothecis adseruari credibile est. unum Leo Allatius uidit a quo aberat uox illa nostris omnibus communis ἡ ἀρχή. tale enim refert eius initium [1]: Τῶν θαυμάτων καὶ δωρεῶν καὶ χαρισμάτων τῶν δοθέντων ἡμῖν ἀπὸ τοῦ θεοῦ. alterum paulo ante [2] recenset his uerbis incipientem : Ἡ ἀρχὴ τῶν ἰαμάτων κτλ., qui fortasse idem est ac Vaticanus noster 807.

Narrationis primores uersiculos ediderunt Theodorus Zahn [3] et Ricardus Adalbertus Lipsius [4].

Metaphrastae commentarium e tribus codicibus dedimus Parisiacis graecis 1492 (P) et 1515 (Q) saec. XI, 1489 (R) saec. XI aut XII. qui cum sint scriptoris aetati paene aequales paucis uerbis inter se discrepant. nec tamen desunt aliquot loci quibus PQ ex eodem, R ex altero exemplo ortos esse apparet. 24, 7 quod Q R congruunt, aut uterque errauit aut P coniectura uerum adsecutus est.

Poteram plures adhibere, uelut Parisiacos gr. 1479 saec XI, 1521, 1523, 1526 saec. XII, 772, 774, 1611 saec. XV; suppl. gr. 240 saec. XI; 43 saec. XV; Coislin. 306 a. MDXXXXVIIII; Vaticanos 794; 796; 1190; Laurentianum IV 20; Vindobonenses hist. gr. 16 et 21 [5]; alios. sed quis credet operae me pretium fuisse facturum? Symeonis alia scripta peruoluere praestabat, unde non solum ea peterentur quibus ab illo etiam hanc narrationem scriptam esse mihi uideor planum fecisse, sed ea quoque quae ad recognoscenda et interpretanda ipsius narrationis uerba haud paulum lucis attulerunt.

Latine dedit Metaphrastae commentarium Surius ad diem XXVIIII septembris t. V p. 468.

Vtrumque libellum Analectorum Bollandianorum uolumine VIII p. 287 ss. summa cum benignitate recepit R. P. de Smedt uir doctrina et humanitate praestantissimus, qui cum sociis laborum egregiis RR. PP. Houze et Van den Gheyn pagellas perquam impeditas concinne et emendate describendas sollertissime et diligentissime curauerunt. ex Analectis cum ea exempla excerpta sint quibus hac disputatione praefati sumus, his quoque ea uariantium lectionum dispositio atque id genus scribendi adhibita sunt non prorsus cum nostra consuetudine congruentia quae Analectis adhiberi solent.

[1] *De Symeonum scriptis* p. 113. — [2] P. 94. — [3] *Acta Ioannis*, p. LXXX. — [4] *Die apokryphen Apostelgeschichten*, t. II 2 p. 24. — [5] Cf. Lambecii *Bibl. Caes. ed.* Kollar, t. VIII p. 502 et 611.

Quo facilius ea quae de locis supra disputata sunt intellegerentur adieci huic libello rudem quandam locorum descriptionem e compluribus tabulis ut potui concinnatam hisce :

- H. Kiepert, *Karte von Kleinasien, Berlin* 1844.
- H. Kiepert, *Wandkarte von Altkleinasien*, *Berlin* 1888.
- *Prof.* G. Hirschfeld's *Archaeologische Reiseroute im südwestlichen Kleinasien,* 1874; *Monatsberichte d. k. preuss. Akad. d. W.* 1879 *(Berlin* 1880) p. 299.
- Sitlington Sterrett, *The Wolfe Expedition to Asia Minor, Boston* 1888; tabula altera ab Henrico Kiepert delineata, Berolini 1886.
- W. M. Ramsayi libello de Phrygiae antiquitatibus quae adiecta est tabula, *American Journal of Archaeology* IV (1888).

I. NARRATIO DE MIRACVLO A MICHAELE ARCHANGELO CHONIS PATRATO

II. SYMEONIS METAPHRASTAE DE EADEM RE LIBELLVS

Libri ordinis Γ

P Paris. gr. 1468 saec. XI f. 232
Σ Q Paris. gr. 769 saec. XIII f. 97
Σ C Coislin. 105 saec. XII f. 289
Σ W Vindob. gr. theol. 123 saec. XIIII f. 128
Σ U Vindob. gr. hist. 61 saec. XIIII f. 1

ordinis Δ

V Vatic. gr. 807 saec. XI f. 73
A Angelic. B 2. 2 saec. XI f. 52
O Ottobon. 1 saec. X aut XI f. 41 usque ad p. 15, 4

ex utroque ordine mixti

D Coislin. 121 saec. XIII f. 18
O inde a p. 15, 4

Librorum PVA scriptura integra, QCWUOD ubi ex eis aliquod auxilium peti poterat apposita est.
Σ significat libros QCWU aut omnes aut maiorem eorum partem.
(Σ) et (QCW cet.) significat Σ et QCW cet. cum aliqua peculiari singulorum discrepantia.
a, q, cet. est in libris A, Q, cet. manus altera.
Mt est Metaphrastae narratio.
Numeri indicantur paginarum et uersuum. in ipsa pagina uersus soli indicantur.
Disputationis I II III cet. capita significat disputationis supra institutae a p. v ad XLV.

[Διήγησις καὶ ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἀρχίππου καὶ προσμοναρίου τοῦ πανσέπτου οἴκου τοῦ ἀρχαγγέλου Μιχαὴλ ἐν ταῖς Χώναις [1]] (1).

Α'. — Ἡ ἀρχὴ (2) τῶν ἰαμάτων [1] (3) καὶ δωρεῶν καὶ χαρισμάτων (4) τῶν δοθέντων ἡμῖν ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ τῆς χάριτος καὶ παρρησίας [2] (5) τοῦ ἀρχιστρατήγου [3] Μιχαὴλ [4] ἐξαρχῆς ἐκηρύχθη ὑπὸ τῶν ἁγίων ἀποστόλων Φιλίππου καὶ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου. ἀποδιώξαντος [5] (6) γὰρ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου [6] τὴν ἀκάθαρτον Ἄρτεμιν ἀπὸ τῆς [7] Ἐφέσου, ἀνῆλθεν εἰς Ἱεράπολιν [8] (7) πρὸς τὸν ἅγιον [9] Φίλιππον· ἦν γὰρ (8) καὶ αὐτὸς (9) πολεμῶν μετὰ τῆς ἐχίδνης. καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους λέγει αὐτῷ [10] ὁ ἅγιος [11] Φίλιππος· τί ποιήσωμεν [12] ἀδελφὲ Ἰωάννη;

Tit. — [1] (τοῦ ἁγίου-Χώναις) τοῦ ἐν ἁγίοις (τ. ἁγίου Q) πατρὸς ἡμῶν ἀρχίππου τοῦ ἐριμίτου (τ. ἐρ. *om.* Q) καὶ πρὸς μοναρίου τοῦ πανσέπτου καὶ σεβασμίου οἴκου τοῦ ἀρχαγγέλου (τ. πανσ.-ἀρχ. *om.* Q) μιχαὴλ ἐν ταΐς χῶναις P (QD), τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν ἀρχίππου καὶ προσμοναρίου τοῦ πανσέπτου νάου τοῦ ἀρχιστρατήγου μιχαὴλ ἐν ταΐς χώναις V, τοῦ ἀρχαγγέλου μιχαὴλ καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν ἀρχίππα A.

A'. — [1] *ita* ΓV, θαυμάτων AO *(Sisinn. ?)*; *cfr.* 3, 1; 5. — [2] *ita* QΔ, παρουσίας PU; *cfr. Mt, cap.* 1. — [3] (κ. π. τ. α.) τ. α. κ. π. V. — [4] *om.* QV. — [5] (ἀποδ.-Ἰω.) QWVA(O), ἀποδιώξας γὰρ ὁ ἅγιος ἰωάννης P(C); *cfr.* 15, 1. — [6] τοῦ θεολόγου *add.* A. — [7] *ita* ΓVO, *om.* A; *cfr.* 2, 15; 5, 7. — [8] *ita* ΓV, ἱερὰν πόλιν AO. — [9] ἀπόστολον V, *om.* O. — [10] *ita* ΣVA, τῶ θεολόγω P. — [11] *ita* ΓA, *om.* VO. — [12] ποιήσομεν A.

(1) Cfr. *disputationis* IV. — (2) ἡ ἀρχή... ἐκηρύχθη. Quamquam turpissimum est illud ἡ ἀρχή... ἐξ ἀρχῆς in ipso initio operis positum, non potest tamen cum libris manu scriptis separatim poni Ἡ ἀρχή.... Μιχαήλ. Ἐξ ἀρχῆς... ἐκηρύχθη: neque enim ἡ ἀρχή sic nude positum defendi potest coll. evang. Marci 1, 1 ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου, ubi jungendum est ἀρχή... ἐγένετο Ἰωάννης, aut evang. Thomae 1 οὗ ἡ ἀρχὴ οὕτως, quae arte conjuncta sunt cum eis quae praecedunt et quae sequuntur. Neque ἐκηρύχθη absolute dictum ferri debet ubi praedicationis quae dicitur evangelicae memorandae locus non erat aut, si esset, ἐξ ἀρχῆς adici non poterat. ἐξαρχῆς sic ὑφ' ἓν scriptum minus fortasse offendebat. ἐκηρύχθη autem etsi minus proprie dictum est pro eo quod est προεφητεύθη, προηγορεύθη, intellegitur tamen. — (3) ἰαμάτων: illorum scilicet quae promittuntur 17, 18. — (4) ἰαμ.-χαρισμ. Cfr. ep. ad Cor. 1, 12, 9. — (5) παρρησίας: qua ille a deo beneficia hominibus impetrat. Cfr. ep. Jo. 1, 3, 21; 22. — (6) ἀποδιώξαντος. Cfr. *disput.* III. — (7) Ἱεράπολιν. Declinatum est adjectivum Strab. 13 p. 630; 16 p. 748; Plut. *Ant.* 37, 1; *C. I. G.* III 4472, 21; Ἱεράπολιν legitur Ptolem. *geogr.* 1, 11; Zosim. 3, 12 p. 141, 7 Bonn.; Ἱεραπόλεως Malal. *chron.* 13 p. 329, 4 Bonn. Cives semper Ἱεραπολίτας appellari, Ἱεροπολίτας ab eo oppido nominari quod sit Ἱερόπολις W. M. Ramsay observavit, *Bull. de corr. hellén.*, VI p. 506. — (8) ἦν γὰρ κτλ. Cfr. acta Phil. 7 p. 77 Tischendorf. — (9) καὶ αὐτός: ut ille cum Diana.

ὅτι οὐ δύναμαι [13] ταύτην τὴν ἀκάθαρτον [14] καὶ μιαρὰν [ἔχιδναν] [15] ἐκριζῶσαι ἐκ τῆς πόλεως ταύτης. ἦν γὰρ αὕτη [16] ἡ [17] μιαρὰ καὶ ὀλέθριος ἔχιδνα [18] πάντων ἑρπετῶν καὶ [19] ἀκαθάρτων πρώτη· ἦν δὲ [20] περιεζωσμένη ὄφεις [21] κατὰ παντὸς τοῦ σώματος, καὶ δράκων κύκλῳ τῆς [22] κεφαλῆς αὐτῆς καὶ ἄλλος κύκλῳ τοῦ τραχήλου αὐτῆς, καὶ ἦν ἐπισταμένη [23] ἐπάνω δύο δρακόντων, καὶ κύκλῳ αὐτῆς πᾶν ἑρπετὸν [24] ἀκάθαρτον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν [25] ὡς βασίλισσα [26] ἐστολισμένη [27]. καὶ οἱ [28] ἕλληνες εἶχον [29] αὐτὴν ὡς θεὰν μεγάλην καὶ [30] πάντες προσεκύνουν αὐτὴν καὶ ἔθυον εἰς αὐτήν [31]. καὶ πολλάκις καθεζομένου τοῦ ἁγίου Φιλίππου καὶ διδάσκοντος ἐπέτρεπεν [32] τὰ ἑρπετὰ ἐπάνω [33] τοῦ ἁγίου [34] ἐπιδραμεῖν τοῦ ἀποκτεῖναι αὐτόν· καὶ ἔλεγεν [35] πρὸς αὐτόν· ἔξελθε Φίλιππε ἐκ [36] τῆς πόλεως ταύτης πρίν [37] σε κακῶς ἀναλώσω [38]. καὶ ἦν [39] ὁ ἅγιος Φίλιππος (1) κηρύσσων [40] τὸν λόγον τῆς ἀληθείας καὶ τῆς πίστεως [41]. καὶ ποιήσαντες [42] εὐχὴν [43] οἱ ἀπόστολοι ἀπεδίωξαν καὶ ταύτην (2) ἀπὸ τῆς Ἱεραπόλεως [44].

Β'. — [1] μετὰ [2] ταῦτα ἔρχονται οἱ σεβαστοὶ [3] κήρυκες τῆς ἀληθείας [4] καὶ ἐκαθέσθησαν [5] εἰς τόπον λεγόμενον Χαιρέτοπα [6] (3), ἔνθα ἡ χάρις καὶ

— [13] δυνάμεθα VC. — [14] (τ. τ. ἀκ.) *ita* PΣ *Vat.* 803, τὴν ἀκ. τ. V, τὴν ἀκ. AC. — [15] *ita* PCAO, *om.* ΣVD *Vat.* 803 *et* 1986. — [16] *ita* (Σ)VA, *om.* P. — [17] *om.* WV. — [18] ἀπὸ *add.* A. — [19] *ita* PQWVO, τῶν A; *cfr.* 6. — [20] καὶ *add.* P. — [21] ὄφιν AO. — [22] (τῆς κεφ.-κύκλῳ) *om.* A. — [23] *ita* VA *Vat.* 803, ἐφισταμένη P, ἱσταμένη W(D), ἐπανησταμένη U, καθημένη O; *cfr.* 4, 2. — [24] καὶ *add.* QWV(O); *cfr.* 3. — [25] *ita* PC *Vat.* 866, ὡς εἰπεῖν ἦν W, ἦν QUΔ. — [26] ἦν *add.* C. — [27] ὑπεῖρχεν *add.* P; ἦν *vid. intercidisse aut post* εἰπεῖν *aut post* ἐστολισμένη. — [28] (κ. οἱ) ΣΔ, εἰ οὖν P. — [29] εἶχαν P. — [30] (καὶ πάντες-εἰς αὐτὴν) (Σ)Δ, προσκυνοῦντες καὶ θυσίαν αὐτῇ προσάγοντες P. — [31] (εἰς αὐτὴν) Q(W)VO, *om.* A. — [32] (ἐπέτρ.-πρὸς α. *lin.* 11) ἐπέτρεπεν τοῖς ἕλλησιν τοῦτον ἀποκτεῖναι λέγουσα αὐτῷ P; (ἐπέτρ.-ἐπιδρ.) (VA)O, ἐπέρρηψεν ἐπ. τ. ἁγ. Q, ἐπέτρεχεν ἐπάνω αὐτοῦ C(W). — [33] (ἐπ. τ. ἁ. ἐπιδρ.) ἐπιδρ. τῷ ἁγίῳ V. — [34] φιλίππου *add.* A. — [35] (κ. ἔλ.) (Q)C, καὶ ἔλεγον Δ, λέγουσα W. — [36] *ita* (Σ)Δ, *om.* P. — [37] *ita* ΣΔ, πρινή P; *cfr.* 14, 18. — [38] *ita* P(Σ), ἀπολέσωμεν Δ *(Sisinn.)*. — [39] (κ. ἦν) QVA, ἦν δὲ P. — [40] *ita* ΣΔ, κηρύττων P. — [41] (κ. τ. π.) *om.* CAO. — [42] (κ. π.) QWΔ, ποιήσαντες τοίνυν P. — [43] *ita* PCO, προσευχὴν QWVA *(Sisinn.)*; *cfr.* 3, 2. — [44] ἱερᾶς πόλεως QAO; *cfr.* 1, 10; 5, 7.

Β'. — [1] καὶ *add.* PQ; *cfr.* 8, 6. — [2] *ita* VD, δὲ *add.* WAO; (μετὰ-ἐκαθ.) ἐν ταύτῃ οὖν τῇ πόλει ἐτελειώθη ὁ ἅγιος φίλιππος· ὁ δὲ ἰωάννης ἀπελθὼν ἐκάθισεν C *(similia* U); *cfr. Mt. cap. 3 init.* — [3] *ita* PQ(W), εὐσεβέστατοι Δ. — [4] ἰωάννης καὶ φίλιππος *add.* A. — [5] ἐκαθέσθη ὁ ἰωάννης (QW)VD; *cfr.* 16 C. — [6] χερέτοπα U, χαῖρε τόπε (Q)A.

(1) καὶ ἦν κτλ. Minas eorum nihil moratus; sed sunt haec et quae sequuntur paulo laxius adjecta. — (2) καὶ ταύτην. Respicit ad 1, 8. — (3) Χαιρέτοπα. Cfr. *disput.* VI.

ἡ δωρεὰ καὶ τὰ θαύματα ἔμελλον ἀποδεικνῦσθαι [7] τοῦ ἁγίου [8] καὶ ἐνδόξου ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ [9] · καὶ ποιήσαντες εὐχὴν ἐσήμαναν τῷ λαῷ λέγοντες ὅτι [10] ἐνταῦθα μέλλει κατέρχεσθαι ὁ μέγας ταξιάρχης καὶ ἀρχιστράτηγος [11] τῆς δυνάμεως κυρίου [12] (1) καὶ ποιεῖν παράδοξα θαύματα [13]. ἐξῆλθον οὖν οἱ ἀπόστολοι καὶ [14] ἐπὶ τὰς ἑτέρας πόλεις διδάσκοντες · καὶ εὐθέως ἔβλυσεν [15] ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ ὕδωρ (2) ἐπιτελῶν [16] ἰάματα.

Γ'. — μετὰ δὲ (3) τὴν κοίμησιν τῶν ἁγίων ἀποστόλων πάλιν οἱ ἕλληνες ἔβρυχον [1] καὶ ἐμαίνοντο κατὰ τῶν χριστιανῶν. ἐτῶν [2] οὖν πολλῶν διελθόντων ἀπὸ τῆς εὑρέσεως [3] τοῦ ἁγίου [4] ὕδατος ἐκείνου [5] ἐγένετο [6] ἐξάκουστον [7] εἰς [8] πᾶσαν [9] τὴν γῆν. οἱ [10] γὰρ καταφεύγοντες [11] ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ ἐθεραπεύοντο [12] [οἵῳ δή ποτε κατείχοντο νοσήματι [13]] (4) · καὶ πολλοὶ τῶν ἑλλήνων [14] ἐρχόμενοι [15] καὶ θεωροῦντες τὰς ἰάσεις [16] ἐπίστευον εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ ἐβαπτίζοντο [17]. ἦν δέ τις ἀνὴρ (5) ἐν τῇ πόλει τῆς Λαοδικείας [18] ἀσεβὴς [19] καὶ εἰδωλοθύτης · οὗτος ἔσχεν [20] θυγατέρα μονογενῆ, καὶ αὕτη ἦν ἄλαλος ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτῆς. ὁ δὲ πατὴρ αὐτῆς πολλάκις ἠβουλήθη [21] μετὰ καὶ ἄλλων [ὁμοφρόνων αὐτοῦ [22] ἀπελθεῖν [23]] τοῦ [24] (6) καταστρέψαι τὸ ἅγιον ὕδωρ ἐκεῖνο, διότι πολλοὶ τῶν ἑλλήνων ἐκεῖ προσέτρεχον [25] καὶ θεραπευόμενοι [26] [ἀπὸ τῶν

— [7] *hoc accentu* P(VA ?), ἀποδεικνύεσθαι C(D). — [8] (ἁγ.-ἀρχ.) (Σ)VA, ταξιάρχου καὶ πρωτοστάτου τῶν ἐπουρανίων ἀγγελικῶν δυνάμεων P. — [9] *ita* (Σ)AO, *om.* VP. — [10] *eras. vid.* A. — [11] μιχαὴλ *add.* A ; (ταξ. κ. ἀ.) (Σ)Δ, στρατιάρχης P. — [12] μιχαὴλ *add.* V. — [13] *ita* ΓV, μυστήρια AO. — [14] *ita* P(Σ)V, *om.* AO. — [15] ἔβρυσεν A. — [16] *ita* QUAO, ἐπιτελῶντι V, ἐπιτελοῦν PC.

Γ'. — [1] *ita* CWVA, ἐβάκχευον P(Q). — [2] (ἐτῶν-διελθ.) PQ, καὶ διήλθοσαν ἔτη πολλὰ VA. — [3] ῥεύσεως A. — [4] *om.* A. — [5] *ita* P(Σ), *om.* VA; *cfr.* 5, 2; 4; καὶ *add.* VA(O). — [6] δὲ *add.* Q. — [7] ἀκουστὸν VO, δια τῶν ϊάσεων *add.* P. — [8] (ἐγ. ἐξ. εἰς) ἠκούσθη παρὰ A. — [9] ὅλην V. — [10] ὅs *cum ras. in illo* s A, ὅσοι *(sed seq.* πρὸς ἤρχοντο) O. — [11] ἀσθενεῖς *add.* PO. — [12] ἐθεραπεύοντο (εύοντο *in ras.* A) QΔ, τῆς θεραπείας ἀπήλαυον P. — [13] σώματι A; (οἵῳ-νοσ.) (Δ), διὸ P, *om.* Q ; *cfr. Joan.* 5, 4. — [14] *om.* A. — [15] *ita* QVO, ἐρχομένων A, παραγενόμενοι P. — [16] (κ. θ. τ. ἰ.) ἐθεώρουν τ. ἰ. καὶ A. — [17] (ἐτῶν *lin.* 9-ἐβαπτ.) *om.* (Σ). — [18] (ἦν-Λαοδ.) P(Σ), ἐν δὲ τῇ π. τ. λαοδ. ἦν τις ἀνήρ Δ. — [19] ἀσεβέστατος AO. — [20] εἶχεν VD. — [21] *ita* C(Q)VO, ἐβουλήθη A(W), ἐβουλεύσατο P ; (πολλ. ἠβ.) ἠβ. πολλ. V. — [22] (ὁμ. αὐτ.) αὐτ. ὁμ. V. — [23] (ὁμ. α. ἀπ.) Δ *(Sisinn.)*, *om.* Γ. — [24] καὶ AO. — [25] (ἐκ. προσέτρ.) Γ, ἤρχοντο VA(O) ; *cfr.* 13. — [26] *ita* PCW, ἐθεραπεύοντο (Q)Δ; *cfr.* 13.

(1) Cfr. Jos. 5, 14. — (2) ὕδωρ. Cfr. *disput.* III et V. — (3) μετὰ δὲ. Cfr. 5, 3; 8, 13. — (4) Cfr. Joan. 5, 4 codices interpolati. — (5) ἦν δέ τις ἀνήρ. Cfr. *disput.* I. — (6) Cfr. Winer, *Gramm. N. T.* § 44, 4 p. 307 ed. VI ; Ducae p. 320, 22 Bonn. εἰ βούλεται τοῦ εἶναι φίλος.

νόσων αὐτῶν] [27] ἐπίστευον [28] εἰς [29] τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν [30]. μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν ὡς [31] ἐν ὁράματι τῆς νυκτὸς ἐπίσταται [32] αὐτῷ ὁ ταξιάρχης [33] [κυρίου] [34] Μιχαὴλ [ὁ ἀρχιστράτηγος] [35] καὶ λέγει αὐτῷ· ἄπελθε μετὰ τοῦ παιδός [36] σου ἔνθα τὸ ἅγιον ὕδωρ πεφανέρωται· καὶ μὰ [37] τὸ ὄνομά μου [38], ἐὰν πιστεύσῃς [39], οὐ μὴ ἐξέλθῃς [40] λυπούμενος. καὶ ἀναστὰς ὁ ἄνθρωπος ἐπορεύθη [41] μετὰ τοῦ παιδός [42]. καὶ ἰδὼν [43] τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ ἐπίστευσεν· καὶ [44] λέγει τοῖς θεραπευομένοις· τίνα ἐπικαλεῖσθε [45] ἐπιβάλλοντες [46] τὸ ὕδωρ τοῦτο ἐπὶ τὰ σώματα ὑμῶν; οἱ δὲ λέγουσιν αὐτῷ· ἡμεῖς [47] ἐπικαλούμεθα [48] πατέρα [49] υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα [50] καὶ Μιχαὴλ τὸν ἀρχιστράτηγον [51]. τότε ἀνατείνας τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰς χεῖρας αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν εἶπεν· ὁ πατὴρ [52] ὁ [53] υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα [54], ὁ θεός, διὰ τῶν πρεσβειῶν [55] Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου [56] βοήθει μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. καὶ λαβὼν [57] ὕδωρ ἐνέβαλεν εἰς τὸ στόμα τοῦ παιδίου [58] καὶ παραχρῆμα ἀνεβόησεν ἡ παῖς καὶ ἔκραξεν [59] λέγουσα [60]· ὁ θεὸς τῶν χριστιανῶν [61] ἀληθῶς μεγάλη σου ἡ δύναμις Μιχαὴλ ἀρχιστράτηγε [62]. ἐβαπτίσθη δὲ [63] αὐτὸς καὶ πᾶς ὁ οἶκος αὐτοῦ· καὶ ᾠκοδόμησεν [64] ἐκεῖ [65] εὐκτήριον [66] (1) μικρὸν εἰς

— [27] (ἀ. τ. ν. α.) VA, *om.* ΓOD, καὶ *add.* Δ. — [28] ἐπέστρεφον (Σ). — [29] *ita* PAOD, ἐπὶ ΣV; *cfr.* 3, 14: *scr.* ἐπέστρεφον ἐπὶ ? — [30] (ἡμ. Ἰ. Χρ.) CUAOD, *om.* PQWV; *cfr.* 3, 14. — [31] ὡς ΣAOD, *om.* PCV. — [32] *ita* V, ἐφίσταται AO, παρίσταται C, παριστήκη P(ΣD). — [33] *ita* QΔ, ταξίαρχος P, ἀρχιστράτηγος ΣD. — [34] *ita* V, κύριος A, *om.* ΓO. — [35] (ὁ ἀρχ.) V, *om.* ΓAO; *sed cfr. supra* ΣD, *et* 17, 8. — [36] (τοῦ π.) VA, τοῦ παιδίου PQWOD, τοῦ παίδου U, τῆς παιδὸς C (τῆς παιδός σου *Sisinn.)*; *cfr.* 6. — [37] *ita* ΣVO, μετὰ A; *cfr.* 18, 4. — [38] (τὸ ὄν. μου) QCD, τὸ ὄν. τὸ ἐμὸν UV, τὸ ἐμὸν ὄν. AO. — [39] (μὰ-πιστ.) ἐὰν πιστεύσῃς εὐλογητὸν τὸ ὄνομα κυρίου P. — [40] ἀπέλθῃς WA; *cfr.* 18, 5. — [41] *ita* Γ, προσῆλθεν V, ἦλθεν AO. — [42] (τοῦ π.) A, τῆς π. P, τοῦ παιδίου QUV, τῆς θυγατρὸς CWO, αὐτοῦ *add.* WO; *cfr.* 4. — [43] (κ. ἰδ.) ΣΔ, ἰδὼν δὲ P. — [44] (χάρ.-καὶ) ἅγιον ὕδωρ V. — [45] ὑμεῖς *add.* V. — [46] βάλλοντες VQ. — [47] ὑμεῖς P. — [48] *om.* C. — [49] *ita* PΣD, καὶ *add.* UΔ; *cfr.* 11; 8, 10; 18, 3. — [50] (ἐπικ.-πνεῦμα) QUVOD, (πατέρα-πν. ἐπικ.) PA. — [51] (τ. ἀρ.) QCΔ, τοῦ ἀρχιστρατήγου P, αὐτοῦ *add.* V. — [52] *ita* QD, καὶ *add.* ΣΔ. — [53] *om.* P; *cfr.* 9. — [54] (τὸ ἅ. πν.) τὸ πν. τὸ ἅγ. A. — [55] (τῶν πρεσβ.) CWA, πρεσβειῶν (*om.* τῶν) QUVOD, τῆς πρεσβίας P; *cfr.* 8, 11; 13, 12. — [56] (Μ. τ. ἀρχ.) QCΔ, τ. ἀ. μιχ. PWUD. — [57] βαλὼν P(U). — [58] (τ. π.) ΣVAD, τῆς παιδὸς PWO: *scr.* τοῦ παιδὸς (?); *cfr.* 4; 6. — [59] (καὶ ἔκρ.) ΣΔ, *om.* P. — [60] δόξα σοι *add.* W, μέγας *add.* O. — [61] βοήθει μοι *add.* VD (*cfr.* 13), θεὸς ἰσχυρὸς καὶ εὔσπλαγχνος *add.* P, ἰσχυρὸς *add.* Q: *intercidit aliquid (cfr. etiam Sisinn. et Mt. cap.* 4), *sed fortasse post* δύναμις (*cfr.* 15, 13). — [62] κυρίου *add.* A. — [63] *ita* ΣΔ, οὖν P. — [64] *ita* (Σ)Δ, οἰκοδομήσας P *fort. recte; cfr.* 5, 6 οἰκοδ. — [65] *ita* QUAO, *om.* CV; (ἐκ. εὐ.) εὐ. οἶκον ἐκεῖσε P. — [66] οἶκον *add.* O.

(1) εὐκτήριον. Cfr. *disput.* IV et VI.

ὄνομα [67] Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου καὶ ἐσκέπασεν [68] τὸ ἅγιον ὕδωρ ἐκεῖνο [69] · καὶ [70] οὕτως ἀνεχώρησεν μετὰ τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ δοξάζων τὸν θεόν [71] . οἱ δὲ ἕλληνες ἔβρυχον κατὰ τῶν χριστιανῶν καὶ [72] τοῦ ἁγίου ὕδατος ἐκείνου [73], τοῦ καταστρέψαι αὐτὸ καὶ ἀφανίσαι ἀπὸ τῆς γῆς [74] ἐκείνης [75].

Δ'. — καὶ μετὰ [1] ἐνενηκοστὸν ἔτος ἀφ'οὗ τὸ εὐκτήριον οἰκοδομήθη [2] ἐπάνω τοῦ ὕδατος εἰσῆλθεν (1) παιδίον ἀπὸ Ἱεραπόλεως [3] ὡς ἐτῶν δέκα [4], ὀνόματι Ἄρχιππος [5], γένους [6] πιστῶν [7] καὶ [8] χριστιανῶν [9] [υἱός] [10], καὶ ἐκαθέσθη οὗτος προσμονάριος (2) πρῶτος [11] . ἦν δὲ ὁ βίος αὐτοῦ τοιοῦτος · ζήσας [12] (3) ἔτη ἑβδομήκοντα, ἀφ'οὗ δὲ ἤρξατο δουλεύειν τὸ εὐκτήριον [13] τοῦ θεοῦ ἔζησεν ἔτη ἑξήκοντα [14], ἄρτου μὴ γευσάμενος μήτε κρέατος [15] μήτε οἴνου μήτε [16] λουσάμενος · ἡ γὰρ τροφὴ αὐτοῦ [17] ἦν [τοιαύτη] [18] · βοτάνας ἀγρίας ἕψων ἤσθιεν χωρὶς ἅλατος · καὶ τοῦτο ὁ μακάριος [19] ἐποίει μίαν (4) τὴν ἑβδομάδα [20] · τὴν δὲ τιμίαν αὐτοῦ ψυχὴν ἐδρόσιζεν [21] τῇ ἡμέρᾳ [22] ἐκ [23] τρίτου [24] (5) ὕδατος ὀγκίας [25] τρεῖς [26] · καὶ τοῦτο ἐποίει ὁ μακάριος διὰ τὴν τοῦ σώματος ἀνάψυξιν.

— [67] (εἰς ὄν.) ΣΔ, ὀνόματι P. — [68] *ita* CUΔ, σκεπάσας PW *fort. recte; cfr.* 4, 17 ᾠκοδ. — [69] *ita* C(U)VD, *om.* PWAO; *cfr.* 3, 10; 18; 5, 4. — [70] *om.* PW. — [71] (μετὰ-θ.) εὐλογῶν τ. θ. μετὰ τ. ἑαυτοῦ θυγατρός V *(Sisinn.)*. — [72] κατὰ *add.* ΣD. — [73] *om.* AO; *cfr.* 2. — [74] (ἀφ. ἀπ. τ. γ.) PQW(O), ἀπ. τ. γ. ἀφ. VA. — [75] *om.* V.

Δ'. — [1] τὸ *add.* WVO. — [2] *ita* PQWAOD, ᾠκοδομήθη VC(U). — [3] ἱερᾶς πόλεως QCO; *cfr.* 2, 15. — [4] ὑπάρχων *add.* VA. — [5] ἀρχίππας QO. — [6] *ita* PΣO, γένος UVA, ὢν *add.* Δ, ὑπάρχων *add.* C. — [7] *ita* ΣV, πιστὸν A, πιστοῦ P, *om.* QO. — [8] *om.* VO. — [9] χριστιανὸν A. — [10] *ita* PΣ(D), *om.* Δ. — [11] εἰς τὸ εὐκτήριον *add.* ΣD. — [12] (τ. ζ.) *ita* Q(CD)Δ, οὕτως ζ. U, οὕτως ἅπας ὁ χρόνος τῆς ζωῆς αὐτοῦ P; *cfr.* 13. — [13] (τὸ ε.) PQU, εἰς τὸ ε. C, ἐν τῶ εὐκτηρίω VA, τῶ εὐκτηρίω O. — [14] ἑδδομήκοντα A. — [15] *ita* CUΔ, κρεῶν PW. — [16] μὴν *add.* PQ; *cfr.* 12, 1, *adnot.* — [17] *ita* ΣΔ, τοῦ μακαρίου PU. — [18] *ita* QV, αὕτη P, *om.* AU(CD); *cfr.* 10. — [19] (ὁ μακ.) VOD, ὁ μακαριώτατος P, *om.* QUA. — [20] εὐδομάδα P(U). — [21] ἐδρόσιζε P. — [22] (τῇ ἡμ.) PQ, τὴν ἡμέραν Δ. — [23] *om.* PO. — [24] τρίττου A, τρίτον PO. — [25] οὐγκίας C. — [26] (ὕ. ὀγκ. τρ.) (Σ)VA(O), προσδεχόμενος ὀγκ. τρ. ὕ. P.

(1) εἰσῆλθεν κτλ. Cfr. *disput.* IV. — (2) προσμονάριος. Cfr. *disput.* IV. — (3) ζήσας. Post ἑβδομήκοντα positurus erat haec fere : ἄρτου οὐκ ἐγεύετο κτλ, cfr. Pallad. *Hist. Laus.* 106 p. 1211 B ζήσας γὰρ εἴκοσι καὶ πέντε ἔτη τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς μετελάμβανε μόνον. Adjecta autem ad illa ζήσας κτλ. parenthesi ἀφ' οὗ κτλ. jam reliqua dedit ἀνακολούθως participia cum verbo ἔζησεν conjungens. — (4) μίαν. ἅπαξ Sisinnius § 8 ; cfr. *Vita Nili jun.* 3, 16, Migne, P. G., tom. CXX p. 45 A ἡ δὲ ζώνη αὐτοῦ ἦν σχοινίον μὴ λυόμενον εἰ μὴ μίαν τοῦ χρόνου, semel intra annum. — (5) ἐκ τρίτου. Cfr. Palladii *Hist. Laus.* 26 p. 1075 A καλεῖ αὐτὸν λέγων Εὐλόγιε Εὐλόγιε Εὐλόγιε, ἐκ τρίτου τοῦτο εἰρηκώς.

τὸ δὲ ἔνδυμα αὐτοῦ εἶχεν (1) σάκκους δύο ἀγρίους [27] · καὶ τὸν μὲν ἕνα σάκκον ἐνδεδυμένος [28] ἦν ὁ μακάριος καὶ οὐκ ἐξήνεγκεν [29] αὐτὸν ἀπὸ [30] τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ἕως ἂν [31] ὁ χρόνος (2) [αὐτοῦ] [32] ἐτελειώθη [33], καὶ οὕτως [34] πάλιν τὸν ἕτερον (3) σάκκον [35] περιεβάλετο [36]. ἡ δὲ κοίτη αὐτοῦ ἦν ἐστρωμένη [37] λίθους ὀξεῖς, καὶ ἐπάνω τῶν λίθων κιλίκιον [38] διὰ (4) τὸ μὴ ὁρᾶσθαι τοὺς λίθους ὑπὸ τῶν εἰσερχομένων [39]. τῇ δὲ τιμίᾳ αὐτοῦ κεφαλῇ ὑπέκειτο [40] σάκκος μεμεστωμένος [41] ἀκάνθας [42]. ἐν τούτοις [43] ἐπανεπαύετο ὁ μακάριος [44] ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ καθεύδειν αὐτόν, καὶ [πάλιν] [45] καθ' ἑκάστην νύκτα ἐπάνω τῶν λίθων καὶ τῶν [45*] ἀκανθῶν ἐπικείμενος ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ οὕτως ἐξετέλει τὸν τῆς ἀγρυπνίας [46] πικρότατον [47] ὕπνον. οὐδέποτε [48] γὰρ ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ [49] ἔτυχεν [50] ἀνέσεως, γυμνάζων αὐτοῦ τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν [51] ἄσπιλον διαφυλάττων ἐκ τῆς τοῦ ἀλλοτρίου (5) παγίδος [διὰ πρεσβειῶν τοῦ ἀρχιστρατήγου [52] Μιχαήλ] [53]. τὴν γὰρ στενὴν καὶ τεθλιμμένην ὁδὸν (6) βαδίζων ἔλεγεν · μὴ ποιήσῃς [54] κύριε ἐμοὶ [55] τῷ ἁμαρτωλῷ [56] χαρῆναι ἐπὶ τῆς γῆς ταύτης ·

— [27] (σ. δ. ἀγρ.) P(QUD), δύο σ. τριχίνους Δ *(Sisinn.)*. — [28] ἐδεδυμένος V. — [29] *ita* P(D), ἐξεδύετο ΔCU. — [30] ἐκ A. — [31] *ita* PD, οὗ Δ. — [32] *ita* VA, *om.* PD. — [33] ἐτελειοῦτο A(O). — [34] οὕτω P. — [35] (τ. ἕτ. σ.) τὸ ἕτ. σακκίον V. — [36] *ita* VA(D), περιεβάλλετο PCU. — [37] ἐστρωμμένη P(U). — [38] κιλίκην A. — [39] *ita* (Σ)Δ, συνερχομένων P, ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ *add.* Δ, ἐνθάδε *add.* P, πρὸς αὐτόν *add.* C. — [40] (τῇ-ὑπέκειτο) P(ΣD *Sisinn.)*, ἐν δὲ τῷ προσκεφαλαίῳ αὐτοῦ ἔκειτο Δ. — [41] μεμεστωμένων P. — [42] *ita* QUVD, ἀκάνθαις AO, ἀκανθῶν PC. — [43] γὰρ *add.* P, οὖν *add.* O. — [44] (ἐπ. ὁ μ.) CU(D), ὁ μακ. ἐπ. P, ἐπ. ὁ ὅσιος VA(O). — [45] *ita* VA, *om.* PCD. — [45*] *ita* P, *om.* V. — [46] *ita* PUD *Sisinn.*, αὐπνίας QV; *cfr.* 7, 11. — [47] *ita* QUV *Sisinn.*, ἐπόδυνον P. — [48] οὐδέπω VD. — [49] οὗτος *add.* P; *cfr.* 10; (οὕτως, *lin.* 10-θεοῦ) *om.* AO. — [50] ἐτύγχανεν CAD. — [51] αὐτοῦ *add.* UAO; (ἐδρόσιζεν, 5, 15-ψυχὴν) *om.* W. — [52] (διὰ-ἀρχ.) Δ, *om.* Γ; διὰ τῶν πρ. *scribendum erat; cfr.* 4, 12; 8, 11; 13, 12. — [53] *om.* ΓA, τοῦ ἀρχαγγέλου *add.* V. — [54] ποιήσεις UVO; (μὴ π.-ποιήσω 7, 21), *om.* W. — [55] (κ. ἐ.) *ita* PΣ, κύριε ἐμὲ VD, με κύριε AO. — [56] (τῷ ἁ.) PΣ, τὸν ἁμαρτωλὸν ΔD.

(1) εἶχεν. Vestimentum ejus erat ut haberet duos saccos et q. s.; parataxis, cfr. 13, 8. — (2) ὁ χρόνος. Annum intellegunt Metaphrasta cap. 5 et qui scripsit codicem C: οὐκ ἐξεδύετο αὐτὸν ἕως τοῦ ἐνιαυτοῦ · μετὰ δὲ τὸν ἐνιαυτὸν ἐξέβαλλεν αὐτόν. Cfr. etiam scriptor *Vitae Nili junioris* 3, 16, Migne, P. G., tom. CXX, p. 45 A : ἦν δὲ καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν αἰγείων σάκκος, εἷς ἐνὶ ἐνιαυτῷ καὶ ἑτέρῳ ἄλλος. Nilus vixisse fertur saeculo XI. Aliter Sisinnius § 8 : σάκκος τρίχινος ὅνπερ ἀμπεχόμενος οὐκ ἀπετίθετο μέχρις οὗ περὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ διερρύη. Cfr. 4 τὸν ἕτερον. — (3) τὸν ἕτερον. Quaeri potest utrum sit prior resartus an novus in ejus locum comparatus; illud scriptor videtur voluisse. — (4) διὰ κτλ. : χάριν τοῦ μὴ τούτους ὁρᾶσθαι, Sisinnius § 8. — (5) τοῦ ἀλλοτρίου, h. e. τοῦ διαβόλου, cfr. *Constit. apost.* 1, 7; 8, 6. — (6) Cfr. Matth. 7, 14.

μὴ εἰσελθέτωσαν [57] τὰ ἀγαθὰ τοῦ κόσμου τούτου ἐνώπιόν [μου τοῦ ταπεινοῦ ἢ ἔμπροσθεν] [58] τῶν ὀφθαλμῶν μου [59]. μὴ γένοιτό μοι κύριε μήτε μίαν ἡμέραν [60] τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀγαθή [61], μήτε μετεωρισθῶσιν οἱ ὀφθαλμοί μου τῆς ματαιότητος [62] τοῦ αἰῶνος τούτου· ἀλλ' ἔμπλησον κύριε τοὺς ὀφθαλμούς μου δακρύων πνευματικῶν [63], καὶ τὴν καρδίαν μου φώτισον εἰς ἐπίγνωσιν τῶν σῶν ἐντολῶν, καὶ δώρησαί μοι δωρεὰν ἣν [64] ἐδωρήσω τοῖς ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστήσασιν [65]. τί γάρ μοι ὑπάρχει τὸ πήλινον σῶμα; [εἰ μὴ] [66] βόρβορός τις [67] δυσωδίας, καὶ τὸ καλλώπισμα [68] τοῦτο [69] γύμνωσίς ἐστιν τῆς ἀφθάρτου [70] ψυχῆς [71]. ἔστιν [72] δὲ [73] τὸ τῆς ψυχῆς ἔνδυμα πίστις ὀρθὴ πρὸς θεόν [74], γύμνωσις καὶ [75] ἀμέλεια σαρκός, πεῖνα καὶ δίψα καὶ ἄσκησις ἀγγελική (1), ξηροκοιτία καὶ ἀγρυπνία, προσευχὴ καὶ δάκρυα, στεναγμοὶ καὶ μετάνοιαι [76] (2), ἡσυχίαι [77] καὶ ἐλεημοσῦναι, καὶ πάντα τὰ ἀρεστὰ τοῦ θεοῦ. ἐν [78] τούτοις γὰρ τοῖς καλλωπίσμασιν εὐφραίνεται ἡ ψυχή. τί γὰρ ἐπιζητεῖ [79] ἡ ψυχὴ ἐκ τοῦ σώματος [80]; οὐδὲν [81] εἰ μὴ μόνον [82] πᾶσαν δικαιοσύνην καὶ εὐλάβειαν. τὸ δὲ [83] σῶμα ταῦτα ἐπιζητεῖ [84]· τὴν παμφάγον γαστριμαργίαν καὶ ἀσωτίαν, φιλαργυρίαν [85] καὶ πᾶσαν ἀκαθαρσίαν, φαντασίας καὶ πονηρίας [86], ἐπιθυμίας κακὰς [87] καὶ πάντα τὰ μὴ ὄντα πρὸς θεὸν ἀρεστά [88]. ἐν ταύταις [89] ταῖς ἐπιθυμίαις χαίρει τὸ σῶμα καὶ [ἐν τούτοις] [90] αἰχμαλωτίζεται ἡ τάλαινα [91] ψυχή. ἐγὼ δὲ ὁ ἁμαρτωλὸς καὶ ταλαίπωρος τί ποιήσω; βοήθησόν μοι [92] κύριε ὁ θεός μου καὶ τῆξόν μου τὸ σῶμα ὡς

— [57] *ita* PΣD, εἰσέλθωσιν Δ. — [58] (μου-ἔμπρ.) A(O), μου καὶ ἔμπροσθεν V, *om.* PQD. — [59] (μου) ἐμοῦ τοῦ ταπεινοῦ V. — [60] (μ. ἡμ.) (Σ)VO, μία ἡμέρα PAD. — [61] *scr.* γεγηθέναι ?. — [62] (τ. μ.) τῇ ματαιότητι UO *Sisinn.* — [63] (δ. πν.) δάκρυα πνευματικὰ V. — [64] (δωρεὰν ἣν) δῶρα ἃ A, κύριε ὡς O. — [65] (σ. εὐ.) εὐαρ. σοι A. — [66] (εἰ μὴ) Δ, ἀλλ' ἢ D, ἢ *Sisinn.*, *om.* PΣ; *cfr.* 15. — [67] τῆς ΔD, πλήρης Q(C). — [68] τοῦ σώματος *add.* AO. — [69] τούτου O. — [70] *ita* P(QC)O, ἀκαθάρτου V. — [71] (τοῦτο γύμν.-ψυχῆς) *om.* A. — [72] (ἔστιν-ἔνδυμα) τὸ δὲ καλλώπισμα τῆς ψυχῆς ἔστιν C(UD). — [73] (ἔ. δὲ) P, τοῦτο δέ ἐστιν V, τοῦτο γάρ ἐστιν A(O). — [74] *del.* πίστις ὀ. π. θ. ?. — [75] *om.* A. — [76] *ita* PVD, μετάνοια ΣAO. — [77] *ita* PV, ἡσυχία CUAO(D). — [78] (ἐν-ψυχή, *lin.* 20) *om.* Q, *multa om.* CUD. — [79] ζητεῖ V. — [80] (ἡ ψ. ἐκ τ. σ.) ἐκ τ. σ. ἡ ψ. A. — [81] ἄλλο *add.* A. — [82] *om.* AOD. — [83] (τὸ δὲ) PCU, καὶ πάλιν τὸ ΔD. — [84] ζητεῖ V. — [85] καὶ ἀπληστίαν *add.* AO. — [86] (καὶ πον.) δὲ πον. καὶ A. — [87] *ita* Δ, ἀκρατεῖς P. — [88] (πρ. θ. ἀ.) UA(OD), πρ. θ. εὐάρεστα V, πρὸς θεοῦ ἀρέσκιαν P; *cfr.* 13. — [89] *scr.* ἐν τούτοις (*om.* τ. ἐπιθ.) ? — [90] (ἐν τ.) VAD, *om.* PO. — [91] *om.* AOD. — [92] *ita* ΣΔ, με P.

(1) ἄσκησις ἀγγελική. Cfr. 8, 7; Palladii *Ep. ad Lausum* extr. p. 1009 Migne: τὴν ἀγγελικὴν πολιτείαν ἐξήσκησαν. — (2) μετάνοιαι. *Vita Nili jun.* 3, 19 p. 48 B Migne ἐν πλήθει δακρύων καὶ μετανοιῶν. Etiam genuum flexiones vulgo dicuntur μετάνοιαι, cfr. Sophocles, *Greek lexicon*, s. v.

τὸν κόκκον τοῦ [93] σινάπεως, τὴν δὲ καρδίαν μοὺ σύντριψον καὶ ταπείνωσον ὅπως [94] μὴ ἐξουδενωθῶ [95] παρὰ σοῦ. ἐγὼ γὰρ κύριε [ὁ θεός] [96] μου τὸ πρωΐ [97] ὡσεὶ [98] χλόη ἤνθησα (1), ἑσπέρας δὲ ἀποπίπτω καὶ παρέρχομαι [99]. ἀλλ' ὅμως οὐ μὴ παύσωμαι [100] ἕως ἂν νεκρώσω μου τὰ μέλη [101] ἀπὸ πάσης [102] ἐπιθυμίας [κακῆς] [103].

Ε'. — ταῦτα [1] ἦν μελετῶν ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ Ἄρχιππος [2], καὶ τὴν ἀγγελικὴν ἄσκησιν ἐκτελῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐδόξαζε [3] τὸν θεὸν τὸν χορηγοῦντα αὐτῷ τὴν τοιαύτην [4] ὑπομονήν. τὰ δὲ πλήθη τῶν χριστιανῶν καὶ τῶν ἑλλήνων προσέτρεχον ἐν τῷ τόπῳ [5] ἐκείνῳ. καὶ οἵτινες [6] μετὰ φόβου καὶ πίστεως ὁμολογοῦντες [7] τριάδα καὶ λέγοντες [8] ὁ πατὴρ ὁ υἱὸς [9] καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, ὁ θεός [10], διὰ τῶν πρεσβειῶν [11] Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου ἐλέησον ἡμᾶς· καὶ τοῦτο λέγοντες ἐπέβαλον [12] τὸ ἅγιον ὕδωρ [13] ἐπὶ τὰς νόσους αὐτῶν [14] καὶ ἐθεραπεύοντο. οἱ δὲ ἄπιστοι καὶ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ [15] οὐκ ἤθελον θεωρεῖν τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ καὶ καθ' ἑκάστην ὥραν [16] ἔβρυχον ὡς λέοντες τοῦ καταστρέψαι τὸ ἅγιον ὕδωρ ἐκεῖνο ἅμα [17] καὶ τὸν δοῦλον [18] τοῦ θεοῦ ἀποκτεῖναι. καὶ πολλάκις ἐρχόμενοι [19] οἱ ἀσεβεῖς ἐμάστιζον αὐτόν, ἄλλοι δὲ ἥρπαζον τοὺς σταυροὺς ἀπὸ [20] τοῦ εὐκτηρίου [21] καὶ συνέτριβον [22] ἐπάνω τῆς κεφαλῆς [23] τοῦ ὁσίου [24]· ἄλλοι δὲ τῶν [25] τριχῶν αὐτοῦ [26] λαμβάνοντες [27] ἔσυρον [αὐτὸν] [28] ἔξω· ἄλλοι δὲ τὰς παριὰς [29] τοῦ πώγωνος αὐτοῦ ἐκτίλλοντες [30] ἔρριπτον

— [93] τῆς VO. — [94] ἂν *add.* V. — [95] *ita* CUVAD *Sisinn.*, ἐξουθενηθῶ P, ἐξουδενηθῶ O; *cfr.* 9, 7; 11, 16. — [96] (ὁ θ.) PQ, *om.* UΔ. — [97] (τὸ πρ.) τῶ πρωΐ O; (τ. π. ὠ.) τῶ πρωΐω σὴ A. — [98] ὡς ἡ WUV. — [99] *ita* ΣΔ *Sisinn.*, ξηραίνομαι P; *cfr. Jac.* 1, 10. — [100] παύσομαι PO(VA?); *cfr.* 4, 5; 13, 10; 18, 5. — [101] (τὰ μ.) τὸ σῶμα V(O). — [102] *om.* A. — [103] *ita* Δ, τῆς σαρκὸς QC, πονηρᾶς U, *om.* P; *cfr.* 7, 18.

Ε'. — [1] δὲ *add.* WUΔ; *cfr.* 2, 16. — [2] ἄρχιππας O. — [3] ἐδόξαζεν O, ἐδόξαζον P. — [4] (τ. τοι.) PCOD, τοιαύτην Σ, ταύτην τὴν V, τὴν A *Sisinn.* — [5] *ita* QΔ, φόβω P. — [6] (καὶ οἵτινες-τριάδα) *om.* A; (καὶ οἵτινες) (Σ)VOD, *om.* P. — [7] ὁμολόγουν τὴν (*om.* καὶ) C(UO) : *aliquid intercidisse aut anacoluthon statuendum esse credibilius est; cfr.* 18, 2, *et* 3, 11; τὴν *add.* V. — [8] ἔλεγον AD. — [9] (ὁ υἱ.) PQWD, καὶ ὁ υἱ. VA; *cfr.* 4, 9. — [10] (ὁ θ.) (ΣO)D, ἡ μία θεότης καὶ ἀΐδιος PQ; *cfr.* 4, 12. — [11] (δ. τ. πρ.) ΣVA(DO), ταῖς πρεσβείαις PQ; *cfr.* 4, 12, *adnot.* — [12] ἐπέβαλλον (Σ)OD; *cfr.* 11, 4. — [13] (τὸ ἅ. ὕ) *om.* V. — [14] τὸ ἅγιον ὕδωρ *add.* V. — [15] (τ. ἀλ. ἐχθρ.) ἐχθρ. τ. ἀλ. AO. — [16] ἡμέραν Σ, (τὲ καὶ ὥραν *add.* W). — [17] *ita* (Σ)V(D), *om.* PQA. — [18] *ita* ΣΔ, ἅγιον P. — [19] εἰσερχόμενοι VO. — [20] *ita* WVD, ἐκ PAO. — [21] (τ. εὐ.) τὸ εὐκτήριον A; *cfr.* 16, 13; 15. — [22] αὐτοὺς *add.* AO. — [23] (ἐπ. τ. κ.) εἰς τὴν κεφαλὴν V. — [24] (τ. ὁσ.) PV, αὐτοῦ ΣAOD. — [25] τῶν PQWD, ἀπὸ τῶν V, ἐκ τῶν AO. — [26] τοῦ ὁσίου AO. — [27] (λαμβ.) τῆς κεφαλῆς V, *om.* O. — [28] *ita* Δ, *om.* PW(D). — [29] (τ. π.) A, της παρειας V, τὴν γεννιάδα P, τὰς πολιὰς *probabili conjectura* ΣOD (παρ[ε]ιὰς *certe corruptum est*); καὶ *add.* V. — [30] ἔτιλλον καὶ O, *om.* A.

(1) Cfr. Jes. 40, 6; Jac. 1, 10; 11.

ἐπὶ τὴν γῆν [31]. οἱ δὲ [32] ἐπέτρεχον [33] ἐπὶ [34] τὸ ἅγιον ὕδωρ τοῦ καταστρέψαι αὐτό, [καὶ] [35] εὐθέως αἱ χεῖρες αὐτῶν ἐκρατοῦντο· [36] ἄλλοι δὲ προσερχόμενοι ἔβλεπον φλόγα πυρὸς ἐξερχομένην [37] ἀπὸ τοῦ ὕδατος ἐπὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν· καὶ οὕτως ἀπεστρέφοντο [38] οἱ ἀσεβεῖς [39] κατῃσχυμμένοι [40]. ἄλλοι δὲ πρὸς ἑαυτοὺς ἔλεγον· ἐὰν τοῦτο τὸ ὕδωρ [41] οὐ καταστρέψωμεν καὶ τὸν κασουδάριον [42] (1) τοῦτον οὐκ [43] ἀποκτείνωμεν, πάντες οἱ θεοὶ ἡμῶν ἐξουδενωθήσονται [44] ὑπὸ τῶν θεραπευομένων ἐνταῦθα [45]. καὶ ἦσαν λοιπὸν βασανίζοντες τὸν δοῦλον τοῦ θεοῦ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καὶ [46] ἄμετρα δεινὰ ἔσχεν [47] ὁ μακάριος [48] ὑπὸ τῶν εἰδωλοθυτῶν [49] ἑλλήνων [50], καὶ ταῦτα [51] ὑπομένων [52] ἐδόξαζεν τὸν θεὸν ἀπαύστως [53] ἡμέρας καὶ νυκτός [54].

ϛ'. — καὶ ἦν [1] ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ ποταμὸς καταβαίνων [2] ἐξ ἀριστερῶν ὀνόματι Χρύσης [3] (2). οὗτος περιεπάτει [4] ἐγγίζων τὸ θυσιαστήριον [5] (3) τοῦ θεοῦ ἐξ ἀρχῆς κόσμου. καὶ πολλάκις ἠβουλήθησαν [6] οἱ ἐχθροὶ τῆς ἀληθείας τοῦ (4) μῖξαι τὸν ποταμὸν μετὰ τοῦ ἁγιάσματος (5) [ἐκείνου] [7]

— [31] (ἔρ. ἐπ. τ. γ.) ἐπ. τ. γ. ἔρ. V. — [32] οἱ δὲ PAOD, ἄλλοι δὲ CUV, καὶ ἄλλοι Q. — [33] *ita* (Σ)VD, ἐπιτρέχοντες PW, ἐπιγόμενοι O, *om.* A. — [34] *ita* ΣΔD, εἰς P. — [35] *ita* Σa, *om.* PW. — [36] (καὶ-ἐκρατ.) Γ, *om.* Δ *(add.* a) *Sisinn.*; *cfr. Mt. cap.* 6. — [37] *ita* ΣΔD, ἐξιοῦσαν P *Sisinn.* — [38] ἀπέστρεφον V. — [39] περιδεεῖς *add.* P (ἔκφρονες καὶ περιδεεῖς ὑπενόστουν *Sisinn.*). — [40] καταισχυμμένοι O, καταισχυνόμενοι A. — [41] (τοῦτο τ. ὕδ.) τὸ ὕδ. τοῦτο AOD. — [42] καυσουδάριον UAO : *scr.* κασουλάριον? — [43] *ita* PCWAO, *om.* (QU)VD. — [44] ἐξουθενωθήσονται P; *cfr.* 8, 2. — [45] (ὑπὸ-ἐντ.) *om.* V. — [46] (καὶ -ἑλλ.) *om.* ΣOD. — [47] (καὶ-ἔσχεν) VA, καὶ πολλὰ κριτήρια εἶχεν W, πολλὰς οὖν αἰκίας ὑποστὰς P *(cfr.* 10) : *scr.* ἔπασχεν? — [48] ἄρχιππος *add.* V. — [49] *ita* WVA, εἰδωλολατρῶν P; *cfr.* 3, 15; 11, 4; 13, 4. — [50] *ita* WVA, *om.* P. — [51] *ita* ΣΔ, ταῦτας P. — [52] *ita* ΣΔ, γενναίως ὑποφέρων P. — [53] *ita* PO, *om.* ΣVA, *cfr.* 14, 8. — [54] (ἡμ. κ. ν.) (W)VO, νύκτα καὶ ἡμέρα P, *om.* ΣA.

ϛ'. — [1] (κ. ἦν) ΣVA, ἦν δὲ PD. — [2] *ita* ΣΔ, κατερχόμενος P. — [3] *ita* V *Sisinn.*, χρύσις P, χρύσος (Σ)AOD *Metaphr.*, χρύσιος W, γρφ καὶ χρυ *(id est* χρύσος) *in marg.* q. — [4] *ita* ΣΔD, περιπατεῖ PW. — [5] (τὸ θυσ.) UVA(D), τῷ (τὸ W) θυσιαστηρίῳ PQ(W)O, τοῦ θυσιαστηρίου C; *cfr.* 10, 6. — [6] *ita* ΣΔ, ἐβουλεύσαντο P; *cfr.* 3, 17. — [7] *ita* VA, τοῦ θεοῦ O, *om.* Γ.

(1) κασουδάριον, casularium puto, id est casula vel casubla (cfr. casulula, Venant. *Vit. Med.* 2 (5) p. 68, 10 Krusch, casubla, Greg. Tur. *Vit. patr.* 8, 5 p. 696, 1; 8; κασσοῦλα Procop. tom. I, p. 521, 22 Bonn.) indutum; post *casularii*, gallice *chasublicrs*, dicti sunt qui casublas faciebant. — (2) Χρύσης. Cfr. *disput.* VI. — (3) θυσιαστήριον proprie est altare aut ea pars templi in qua altare positum est, cfr. Suiceri *Thesaur. eccl.*; hoc loco et 10, 3 et 12, 5 videtur idem esse atque εὐκτήριον. Cfr. Sisinnius § 11; 15; ubi recte in adnotatione vertitur *oratorium*; fluvius autem ab origine mundi non oratorio sed ei loco appropinquabat in quo illud aedificatum est; cfr. 10, 6. — (4) τοῦ. Cfr. 3, 18 cum adnot. — (5) μ. τ. ἁγιάσματος, cum fonte salutari de quo 3, 6.

καὶ οὐκ ἴσχυσαν [8], ἀλλὰ δοκιμάσαντες ἀπέφυγεν [9] τὸ ὕδωρ τοῦ ποταμοῦ ἀπὸ τοῦ ἁγιάσματος [10] καὶ [11] ἐχωρίσθη εἰς δύο, τὸ δὲ χωρισθὲν ὕδωρ τοῦ ποταμοῦ [12] ἀνέκαμψεν εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ θυσιαστηρίου · καὶ οὕτως (1) πορεύεται [13] ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.

Ζ'. — ἐν δὲ τοῖς χρόνοις ἐκείνοις ἕτεροι δύο ποταμοὶ (2) κατήρχοντο ἀπὸ ἀνατολῆς ἐγγίζοντες τὸν ἅγιον τόπον ἐκεῖνον [1] ὡς ἀπὸ μιλίων τριῶν · [ὧν] [2] ὁ μὲν εἷς ἐξ αὐτῶν [3] ὀνόματι [4] Λυκόκαπρος, καὶ ὁ [5] ἕτερος [6] ὀνόματι [7] Κοῦφος · οὗτοι ἐσμίγοντο [8] εἰς κεφαλὴν (3) τοῦ ὄρους τοῦ μεγάλου [9] καὶ ἀνακάμπτοντες εἰς τὰ δεξιὰ [10] περιεπάτουν ἐπὶ [11] τὰ μέρη [12] Λυκίας [13]. ὁ δὲ ἐξ ἀρχῆς [14] διάβολος, ὁ [15] ἐπικατάρατος, ὁ τὰ πονηρὰ [16] ἐμφυτεύων εἰς τὰς καρδίας τῶν ἀνθρώπων [17], ὁ τῶν κακῶν βοηθὸς καὶ συνήγορος, ὁ τοῦ θεοῦ ἀρνητὴς καὶ τῶν ἀγγέλων μισητής [18], ὁ [19] τῶν ἁγίων φονευτὴς καὶ τῶν θείων ἐκκλησιῶν διώκτης, ὁ τῶν ἰαμάτων [20] ἐξολοθρευτὴς [21] καὶ τῶν ἀσθενούντων πειρασμός [22] (4), ὁ [23] τὸν κόσμον ἀπατήσας καὶ μὴ χορτασθείς [24] (5), ὁ [25] τὸν οὐρανὸν [26] καὶ τὴν γῆν

— [8] ἴσχυον V. — [9] (ἀλλὰ δ. ἀπ.) (Σ)Δ, ἀλλ' ἐκφυγῶν P. — [10] (ἀπ. τ. ἁγ.) PAO, *om.* QCV. — [11] *ita* QCΔ, *om.* P. — [12] (τ. ποτ.) ΣAO, ἀπὸ τ. ποτ. V, *om.* P. — [13] ἐπορεύετο V.

Ζ'. — [1] (τ. ἅγ. τ. ἐκ.) (Σ)V (ἅγ. *om.* V), τῷ ἁγίῳ τόπῳ ἐκείνῳ PD, τοῦ ἁγίου τόπου ἐκείνου A; *cfr.* 9, 13. — [2] *ita* PW, *om.* ΣΔ. — [3] (ἐ. α.) VW, αὐτῶν AO, *om.* PΣ. — [4] *ita* ΣΔ, ἐκέκλητο P. — [5] (κ. ὁ) ΣΔ, ὁ δὲ P(Q). — [6] *ita* PQVO, ἄλλος ΣA. — [7] *ita* ΣVA, *om.* PQO. — [8] ἐσμήγοντο Σ(D), ἰσεμίγοντο P, ἐμίγοντο C, ἐμίγνυντο VA, ἐμήγνυτο O. — [9] (τ. ὄ. τ. μ.) τοῦ μεγ. ὄ. A. — [10] (εἰς τ. δ.) UAO, δεξιὰ V, ἐν τοῖς δεξιοῖς P, *om.* ΣD; *cfr.* 3. — [11] *ita* QWVOD, εἰς PUA, περὶ C. — [12] τῆς *add.* QA. — [13] *ita* PΣVOD *Sisinn. Mt.*, λυκείας A, λοιδδίας C, Λυδίας *ipse conjeceram, at cfr. reliqui errores.* — [14] τῶν πονηρῶν ἐφευρέτης *add.* P (*cfr. Paul. Rom.* 1, 30), πονηρὸς *add.* C, ἀνθρωποκτόνος *add.* WO (*cfr.* 12, 13; *et evang. Joan.* 8, 44); *cfr. quae seq.* — [15] *ita* PQU, καὶ VA. — [16] (τὰ πον.) (Σ)Δ, αὐτὰ P. — [17] (εἰς τ. κ. τ. ἀ.) ΣΔ, ἐν ταῖς καρδίαις τ. ἀ. Q, ταῖς τ. ἀ. καρδίαις P; *cfr.* 11, 5. — [18] *ita* CUO, μισητὸς PW(D). — [19] (τῶν ἁ. μ. ὁ) *om.* V. — [20] (ὁ τῶν ἰαμ.-ἀντίχρ. 11, 3) *om.* Q. — [21] (τ. ἰαμ. ἐξ.) ΣΔ, ταῖς εὐεξίαις ἐπιβουλεύων P. — [22] (τ. ἀ. πειρ.) ΣΔ, τοῖς ἀσθενοῦσι πειρασμοὺς ἐπιφέρων P. — [23] (ὁ τὸν. κ.-ἀντίχρ. 11, 3) *om.* V. — [24] (μὴ χορτ.) (Σ)D, κόρον οὐ προσδεξάμενος P (*cfr.* 11, 1), μὴ ἐνδοὺς τοῦ ἐγχειρήματος (*sed periit* ε:) A, *om.* O. — [25] (ὁ τὸν οὐρ.-ἐπιθ. 11, 1) *om.* CU. — [26] (τὸν οὐρ.-μισ. 11, 1) WAOD, τοῦ θείου φωτὸς ἀποστὰς P.

(1) καὶ οὕτως κτλ. : erat igitur oratorium in insula. — (2) ἕτεροι δύο ποταμοὶ κτλ. Cfr. *disput.* VI. — (3) εἰς κεφαλὴν τ. ὄρ. : κατὰ τὴν τοῦ ὄρους κορυφὴν Sisinnius § 12. — (4) πειρασμός. De diabolo dictum etiam *Hist. Laus.* 18 p. 1042 A, ubi etiam μισόκαλος his appellatur; cfr. 19, 20 p. 1052 C τί θέλεις Μακάριε πειρασμὲ τῶν μοναχῶν. — (5) μὴ χορτασθείς. P suo more variat, A interpretatur. Diabolus satiatus non est fraude, hoc est non destitit ab incepto suo, mundum fraudare perstitit.

μισήσας καὶ τὸ αἰώνιον σκότος [27] ἐπιθυμήσας [28], ὁ τῶν βουλομένων [29] σωθῆναι ἀποστάτης [30] (1) καὶ τῶν ἀγωνιζομένων [31] εἰς σωτηρίαν [32] ἀντίδικος, ὁ μισόκαλος καὶ ἀντίχριστος, ὁ ἐσκοτισμένος καὶ βεβυθισμένος οὐκ ἐπαύσατο [33] ἐνοχλῶν τοὺς εἰδωλοθύτας τοῦ καταπατῆσαι [34] τὸ ἁγίασμα τοῦ θεοῦ. καὶ [35] λοιπὸν [36] ἐμβάλλει [37] εἰς τὰς καρδίας αὐτῶν ἵνα [38] τοὺς ποταμοὺς ἀποστρέψωσιν [39] κατὰ τοῦ ἁγιάσματος τοῦ θεοῦ, ἵνα [40] ὑπὸ τοῦ ὕδατος καταποντισθῇ [41] τὸ ἁγίασμα [42]· ἦν γὰρ καὶ ὁ τόπος ἐπιτήδειος πρὸς κατάβασιν τοῦ ὕδατος. [43] καὶ λοιπὸν ἔρχονται [44] οἱ ἀσεβεῖς ἀπὸ [45] πασῶν τῶν πόλεων ἐκείνων [46], ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, καὶ συναχθέντες [47] ἦλθεν [48] εἰς Λαοδικίαν [49] ὁ λαὸς τῆς ἀδικίας [50], καὶ ἐμελέτησαν κενὰ [51] (2) κατὰ τοῦ ἀσωμάτου Μιχαὴλ τοῦ ἀρχιστρατήγου [52]· οἱ δὲ πρῶτοι τῶν ἀσεβῶν [53] ἔλεγον πρὸς τοὺς ὄχλους [54] ὅτι [55] ὁ τόπος ἐπιτήδειός ἐστιν [56] πρὸς καταποντισμὸν [57] τοῦ [58] ὕδατος (3)· οἱ γὰρ ποταμοὶ ἀπὸ μεγάλου ὕψους [59] κατέρχονται· ἄρτι δὲ ἡμεῖς ἀποστρέψωμεν [60] τοὺς ποταμοὺς κατὰ τοῦ γοητεύσαντος ἡμῶν τοὺς θεοὺς [61] καὶ τὰς θείας αὐτῶν δυνάμεις ὑπὸ τῶν θεραπευομένων ἐκεῖσε [62] ἐξουδενώσαν-

— [27] (τ. αἰ. σκ.) WAOD, τοῦ αἰωνίου σκότους P. — [28] *ita* WAO, ὀρεκτῶς ἀντιλαβόμενος P; *cfr.* 10, 15. — [29] (τ. βουλ.) WUAOD, τοῖς ἐθελοῦσι P, τῶν θελόντων C. — [30] *ita* WUAOD, μυριότροπος καὶ ἀτίθασος πολέμιος P, ἐμποδισμὸς C. — [31] *ita* ΣA(O)D, τοῖς ἀγωνιζομένοις P. — [32] δεινώτατος *add.* P. — [33] *ita* ΣAO, ἔπαυεν V, επαύετο PU. — [34] *ita* P(CWD), ἐξαφανίσαι V(O), ἐξολοθρεῦσαι A. — [35] (καὶ λ.-ἁγ. *lin.* 7) *om.* AO. — [36] (κ. λ.) ΣV, *om.* P. — [37] *ita* CV, ὑποβάλλει W, ὑποβάλλει τοίνυν P, βάλλει QD. — [38] *ita* ΣV, ὅπως P. — [39] *ita* V, ἐπιστρέψουσιν P, ἐκτρέψωσιν ἐκεῖθεν C, μεταβάλωσιν ἐκεῖθεν (WU)OD; *cfr.* 14; 12, 12. — [40] *ita* V, ὡς ἂν P. — [41] (τ. ὕδ. κατ.) V, τοῦ ποταμοῦ καταποντισθείη P. — [42] (τὸ ἁγ.) V(C), *om.* P; *fort. adiciendum* τοῦ θεοῦ, *cfr.* AO *(homoeotel).* — [43] (κατ. τ. ὕ.) ΣΔ, τὴν τ. ὕ. κάθοδον P. — [44] *ita* ΣΔ, ἀθροίζονται P. — [45] ἐκ AO. — [46] (π. τ. πόλ. ἐκ.) τ. πόλ. πασ. ἐκ. A. — [47] *ita* ΣΔ, ὁ συναθροισθεὶς P; *cfr. infra.* — [48] ἦλθεν P *(post* λαοδ. W), ἦλθον QO, ἤλθωσαν VA. — [49] *ita* PQWO, λαοδίκειαν (U)VA. — [50] (ὁ. λ. τ. ἀδ.) WD, τ. ἀδ. λ. *ante* ἦλθεν P, ὁ δὲ λαὸς τῆς λαοδικίας (λαοδικείας V) ἐποίησεν (ἐποίησαν A) συμβούλιον μετ' αὐτῶν Δ, *om.* QC. — [51] (καὶ ἐμ. κ.) (Σ)Δ, καινὰ μελετῶν P. — [52] (ἀσωμ.-ἀρχ.) CUV, ἀρχ. μιχαὴλ QAOD, τῶν θείων ἀσωμάτων ἀρχ. μιχαὴλ P; *cfr.* 13, 13. — [53] (πρ. τ. ἀσ.) (Σ)Δ, τούτων πρῶτοι P, ἐκείνων *add.* V. — [54] (τοὺς ὄχλ.) τοῖς ὄχλοις (*om.* πρὸς) AO. — [55] *ita* QCΔ, *om.* PW. — [56] (ὁ τ. ἐπιτ. ἐ.) ἐπιτ. ἐ. ὁ τ. AO. — [57] *ita* PΔ, κατάβασιν (Σ)D; *cfr.* 8. — [58] *ita* ΣΔ, *om.* P. — [59] (ἀ. μεγ. ὕψ.) (Σ)Δ, ἀφ' ὑψηλοῦ ὄρους P. — [60] (ἄρτι-ἀπ.) Q(U)VA(O), ἀπ. οὖν P. — [61] (ἡμ. τ. θ.) WUΔ, τ. θ. ἡμ. P(QC). — [62] *om.* V.

(1) ἀποστάτης: hoc est ὁ τοὺς βουλομένους σ. ἀφιστάς. — (2) ἐμελέτησαν κενά. Cfr. Psalm. 2, 1. — (3) τοῦ ὕδατος, fontis sacri, quamquam 8 ὕδωρ est aqua fluviorum; cfr. 12, 16 καταπ. τοῦ τόπου; 12, 12; Sisinnius § 12 εἰς τὴν τοῦ τόπου κατάκλυσιν.

τος [63]. ἐπεὶ [64] γὰρ ἡμεῖς [65] τοῦτον [66] ἀποκτεῖναι καὶ τὸν βόρβορον [67] τοῦτον καταστρέψαι οὐ δυνάμεθα, κἂν [68] ὑπὸ [69] τοῦ θράσους [70] τῶν ποταμῶν καὶ τῆς τοῦ ὕδατος πλησμονῆς [71] καὶ τῆς τῶν θεῶν ἡμῶν βοηθείας [72] ἐξολοθρευθῇ [73] ὁ τόπος ἐκεῖνος [74].

Η′. — ἔγγιστα δὲ τοῦ [ἁγίου] [1] θυσιαστηρίου ἔστιν [2] πέτρα (1) στερεὰ ἔχουσα [3] πλάτος καὶ μῆκος πολύ, τὸ δὲ βάθος αὐτῆς τέλος οὐκ ἔχει· ἦν δέ ἡ πέτρα αὕτη προανάγουσα ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ (2) ἄχρι [4] πηχῶν [5] ἑβδομήκοντα, ὁμοίως [6] δὲ καὶ ὄπιθεν [7] · ἔρχονται [8] λοιπὸν [9] οἱ ἀσεβεῖς καὶ τῆς ἀληθείας ἐχθροὶ καὶ ἤρξαντο [10] (3) ἀπὸ κεφαλῆς τοῦ λίθου [11] (4) ἕως τῆς κεφαλῆς τοῦ ὄρους τοῦ μεγάλου [12] ἔνθα οἱ ποταμοὶ περιεπάτουν Κοῦφος καὶ Λυκόκαπρος, καὶ ὀρύξαντες ἐποίησαν τὴν ὁδὸν τοῦ ὕδατος ἵνα τοὺς ποταμοὺς μεταβάλωσιν [13] ἐκεῖθεν καὶ οὕτως [14] καταποντίσωσι [15] τὸ ἁγίασμα τοῦ θεοῦ · ὁ γὰρ ἀνθρωποκτόνος διάβολος (5) ἠνώχλει [16] αὐτούς [17]. καὶ τελέσαντες τὴν ὁδὸν τοῦ ὕδατος ἔφραξαν τοὺς ποταμοὺς ἄχρις [18] ἡμερῶν δέκα πρὸς τὸ συναχθῆναι τὸ [19] ὕδωρ πολὺ πρὸς [20] καταποντισμὸν τοῦ ἁγίου [21] τόπου ἐκείνου [22]. καὶ ἰδοὺ οἱ ποταμοὶ

